SIMONIS STAROVOLSCI SARMATIÆ BELLATORES.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud HENRICUM CRITHIUM sub signo Galli.

Anno M. DC. XXXI.

Illustrissimo Heroi.

D. IOANNI EVSTACHIO TYSKIEVICIO.

PALATINO BRESTENSI, CAmenecensique præfecto.

SIMON STAROVOLSCIVS, OMnem fælicitatem precatus, libens meritò dedicat.

GENTEM nostram, Heros Illustrissime, fama celebrari compertum est, tãquam indoli suâ pronam simul & vtilem bello, ducesq; ipsos, priscis illis Heroibus pares: quorum vtpote res gestæ, & domi forisq; fælicitas in plerisque tanta est, vt veterum Romanorum gloriam exæquent, recentiorum verò populorum, multis interdum passibus superent. Quamobrem licet complures sint gentis nostræ scriptores, qui non ciuilia modò nobis documenta, libris suis reliquerunt, verum etiam exempla ad imitandum varia, domi, & sub frigido nostro axe nata, plena manu proposuerunt. Sæua tamen & in-

festa virtutibus tempora nostra videns, haud abs re putaui, præstantium bellatorum nostrorum vitas, in vnum volumen breuiter colligere, & veluti facem ad famam modernis præferre, qui & priuatim degeneres sunt, & in publicum exitiosi. Quo nimirum conspectis maiorum suorum monumentis; vel præconijs illorum excitati, incipiant tandem parem eorum laudibus gloriam discupere; vel metu infamiæ perculsi, reuereantur ab insita toti genti virtute degenerare. Et hoc illud est, cur Rempub. cogitantibus, & cum vtilitate omnium suaq; laude, siue domi, siue militiæ eam administrare cupientibus, clarorum virorum facta moresq; studiosè sint pernoscendi. Natura enim ita comparati sumus, vt quenque aliquod studium trahat: in illa autem re, quam probamus aut colimus, eos qui excellunt miramur, & desideramus pariter produci alijs in exemplum, esseq; in totius orbis, imò sæculorum omnium theatro. Cum itaque in immenso illo Historiarum pelago, quod Chronicon appellamus, non facilè sit, singulorum virtutes & nomina deprehendere, quod ea generalis totius gentis gestorum narratio, velut sol minores luces, suo splendore obumbret. Idcirco deprompta speciali hoc libello è fastis antiquitatis singulorum memoria, non ædepol

ædepol alij eam conseruandam, aut verius propagã-dam ad posteros consecrare debui, quam tibi ætatis nostræ, Heroi Illmo qui prisco illo Sarmatarũ instituto, Martem Gradiuum à puero veneratus, omnibus quotquot tua ætate contigerũt, bellicis expeditionib. pro Repub. interfuisti. Et vt eam sartam tectam conseruares, his difficillimis temporibus nostris, quibus pacem libertatemq; optamus magis, quàm defendimus, toties veteranorum splendidissimas cohortes, ære tuo ingenti, in Podoliam Valachiam, Liuoniam, Moscouiam atque Prussiam eduxisti. Sicque te ipsum, in rerum decus solidamq; virtutem incumbens gessisti, vt & strenui militis, & fortissimi Ductoris, cum omnium ferè, tum sapientissimi Regis iudicio sis consecutus. Qui te generali totius Regni expeditioni, ducem contra Turcas præponere voluit: & bello in Prussia orto, iterum te omnibus copijs imperatorem assignare cupiuit, nisi in vtroque tempore, inuidorum maleuolentia, consilia eius impediuisset. Et tu sordidæ adulationis adminiculis spretis, id tantum facere voluisses, quod æternitas exciperet, cœlũ approbaret. Vt igitur hic omittã, primam illã ætatẽ indolemq; tuam, clarissimis maiorib. dignam, quam è ludo litterario egressus in Regia exercuisti, & à puero

ro statim publicis negotijs admotus, ita splendidus sẽper, liberalis, industrius, prudens, humanusq; fuisti, vt nemo ferè in toto Regno sit, cui non contigerit tuas diuinas dotes degustare. Præsertim verò cum iam te militiæ applicuisses, & per gradus militiarũ honorũ procedens, officium Tribuni in castris, in Curia verò Magni Ducatus Lituaniæ, Thesaurarij titulũ promeritus esses. Vbi non militũ modò studia tibi, heroica munificentia conciliasti, sed & litteratorũ: sed & Procerum Regni: atque ipsius Ser.^mi Regis fauores consecutus es. Qui te ob ingentes animi tui dotes, Mscislauiẽsis Palatini dignitate, albo senatorio adscripsit. Et virtute tua delectatus, paucos post annos, augustiori loco suffecit; prouinciæ nimirum in qua natus es, Palatinũ, hoc est, belli ducem præficiens, vt patre Brestensi Palatino prognatus, (non enim libet hic longam seriẽ auorũ tuorum, trabea & curuli illustrium enumerare, quorum tu non æquas modò decora, sed ea magno iam interuallo superas) Brestensis & ipse Palatinus fieres: restitueresq; popularib. tuis, imò Sarmatis omnibus, tuo exemplo militarem gloriam, quã heu! nescio quo pessimo facto in dies diminutũ ire videmus. Ergo macte hac tua indole Heros Ill.^me & pro natura ingenij tui, quod nihil nisi illustre atque

atque honestum respicit, oblectare suetis artibus tuis, quæ tibi meritò togati sagatiq; ciuis gloriam apud oẽs iam pepererunt, & quæ aliquando absenti etiã æternum, paremq; virtutibus tuis locũ inter Heroas constituẽt. Quod eo faciliùs assequi poteris, si ex vitis tot insignium bellatorum, quos genium tuũ veneratus, hoc tibi libello sisto, exempla accuratè notaueris, eaq; felici delectu imitanda, filijs tuis charissimis, qui in spem patriæ crescunt (& quorum vnus iam Pontificali tiara conspicuus, exornat sæculi sui gloriam, alij vero bello Chotimensi & Prußico virtutem suã probarunt) proprijs tuis virtutibus adaucta tradideris. Enimuero enim eorum lectionem, hac maximè tempestate illis nequaquam aspernendam putẽ: imo nobiliß:mis quibusq; Sarmaciæ nostræ, quorum propriũ est armis gloriam quærere, vestrum, qui præeminetis, & experientia polletis, præire. Vt & posteri sic discerent à vobis, virtutem admirari, & extranei quiuis cultiores cognoscerent, duris quoque Sarmatis inesse diuinitatis semina, atq; omniũ septentrionaliũ propriam Colonis esse militaris gloriæ cupiditatem. Vale Heros Ill.^me, & litatis Bellonæ tuæ hostijs, etiã Apollini liba, Musisq; mitiorib. vt consuesti faue, quæ solæ famam vocabunt in laudem tui, & virtutes tuas different per totum terrarum orbem.

AMI-

AMICE LECTOR.

Multa inter nos Sarmatas, fortium hominum facta sunt, fueruntq; semper, haud illis imparia, quibus nobilitantur gentes, quæ literis ipsæ se celebrant: sed quia scriptores non habe amus, qui ea in hominum lucem proferre & vna secum immortalitate ornare potuissent; ideo æternum obliuioni tradita iacent. Nec per modernos, qui antiquitatis paulò studiosiores sunt, vllo modo inuestigari possunt. Partim, quòd literatos viros, nunc primum sub Iagellonibus Polonia æstimare cœperit, quod vix duorum sæculorum spacium facit. Partim, quod etiamnum denuo, nescio quo pessimo fato, literæ apud nos suum precium deperdant. Vnde etiam fit vt & paucos solidè eruditos habeamus: & si qui reperiuntur, neglecti à Optimatibus & Megistanis, vel non habent rationem quomodo se in illustri illo orbis theatro, ostendere queant, vel animo abiecto & desperato prodire in palæstram sæculorum nolunt, certo certiùs scientes se contemni ab ijs, à quibus omnino promoueri debebant. Iam autem viri excelsi, & qui ad clauum Reipub. sedent, etiamsi nescio quæ præclara gesserint, si ea eruditorum pennatus ille currus non euexerit per æthera & gentes, cuncta profectò cimmerijs tenebris inuoluta iacebunt. Quod si verò potentes genio viri, stilo ea suo perennitati consecrauerint, paria omnino vel Græcorum vel Romanorum factis erunt. Apud quos sapientes in precio habiti, dicta etiam elegantiora Heroum, non modò facta illustria, fastis æternitatis inseruerunt: & quos ornandos censuerunt, licet immerentibus alijs, tantas laudes admensi sunt, vti posteritas virtutes eorum, quæ vix mediocres sunt, etiamnum suspiciat & veneretur. Vt ergo ex omni genere monumentorum, quibus præclara ingenia memoriam nominis sui, grata cum recordatione ad posteros transmittere studuerunt, ij optimam partem videntur delegisse, qui res æternitate dignas consecrare perpetuis annalibus, & ab obliuionis iniuria vindicare sunt aggressi. Ita illi, mea opinione omnium maximam laudem promerentur, qui viros egregiè doctos, & patriæ, & suarum virtutū præcones, summa beneficentia fouent: curantque per eos clarorum virorum facta, posteris imitanda tradere. Quandoquidem nihil efficaciùs penetrat in animos, & permanat ad intimos sensus, quàm exempla, quæ nobis ex annalium monumentis suppeditantur: ex quibus facilè quisque potest contemplari vitas hominum & haurire quod ex vsu sit, ad mores benè sapienterq; instituendos. Ac propterea, ipse quoque ex facili animum induxi, vt congestis præcipuorum Sarmatiæ nostræ scriptorum vitis itemque clarissimorum Oratorum nostrorum Elogijs, ad illustrium nunc bellica virtute virorū præconia descenderem: quod nimirum scirem, excitata iuuentutis industria, ad studia eam & labores, maiorum exemplis vehementiùs propelli. Nam si olim posterorum animos ad virtutem accendebāt dispositæ in atrio maiorum imagines, quæ nihil præter externam corporis figuram intuentibus repræsentabant: quanto magis ad æmulandi ardorem, excitari conuenit viros gloriæ cupiditate flagrantes, quum ad viuum expressam vident effigiem illam diuinioris auræ, qua potissimum parte dignitas generis humani censeri debet: Iam autem illud primum sapientiæ munus censetur, patenti via populum ad virtutem ducere, cupidinemque honesti conciliare animis, & facere vitiorum odium. Quod non alia certè faciliùs feliciusque præstatur via, quam laudando egregia facta maiorum, eaque debitis exornando Elogijs. Quæ dum curiosius posteri, sed præcipuè bonæ indolis iuuentus leget, ad Reipub. vsum se plures aptabunt, ingenia excolent, militiam aut eloquentiam studiosius persequentur, denique suis ciuibus se probabunt, suam quoque vitam sperantes aliquando alijs exemplo fore.

Quod vt tandem fiat; rursusque vergentem ad barbariem Septentrionem nostrum, benignior
Numinis radius aspiciat, atque te simul, Lector Amicissime, ad æmulandum
heroicas virtutes excitet, ex animo
opto.

SIMONIS STAROVOLSCI.

SARMATIAE BELLATORES, Seu ELOGIA

VIRORVM BELLICA VIRTVTE Illustrium, quotquot vel nostra, vel auorum memoria, celebres in Polonia fuêre.

MIECISLAVS I.

Quemadmodum totus penè orbis terrarum, ante Christi Dei aduentum, veri Numinis cultum ignorabat, ita quoque & Septemtrionalis plagæ populi; qui innata quadā barbarie & feritate, post promulgatum etiam Euangeliū, difficilem ad oras suas externis hominibus aditum præbebant; nec multum de religione disquirebant, bellis & militiæ dediti, contētiq; superstitione, quam ab initio propemodum humani generis acceperant, fallacium Dæmonum fraude inducti. Maximè verò, feroces illi Sarmatæ, quorum genus ducimus, & in quorum oris, post tot mutationes & migrationes, à Pole, quod planiciem & venationem Slauis significat, Polachi seu Poloni appellati, consedimus. Nec lumen veritatis agnouimus, nisi post nongentesimum & sexagesimū quintum, à partu virgineo, annum, Miecislao Ziemomysli F. nobis imperante; à quo etiam scriptionis nostræ, sumpsimus initium.

Nam quid olim, in tenebris illis gentilium gestum fuerit, aut qui Duces belli artibus claruerint, vel quomodo ex Sarmatis Vandali, Venedi, Slaui, aliæque innumeræ gentes, ortum suum deriuauerint, difficilè sanè coniectari: cum nulla literarum apud eos tum cognitio fuerit, nullaque scriptorum monumenta ad nostram ætatem peruenerint. Proinde, nunc primum cum luce Euangelij, artium quoque bonarum vsu & tractatione ad nos delata, res etiam nostræ, non nisi à Miecislao Principe, illustrari cœperunt, qui & ipse quoque mirabiliter illustratus fuit. Siquidem natus erat oculis cæcus: nullos alios aut fratres aut sorores habens. Cumque illi anno septimo, ritu gentili coma attonderetur, absque vlla medicorum ope, lucem miraculosè aspexit: & acclamantibus cunctis, Miecislai, quasi qui gladio gloriam sibi pariturus sit, nomen accepit. Consulente postea patre diuinatores, quid portenderet, quòd is cæcus natus, tanto interuallo videre cœpisset? responsum fuit, Poloniam eius principatu illustratam iri. Itaque annis maturus, Dambroucam, Boleslai Primi, Bohemorum Ducis filiam, vxorem Christianam accepit, vtque conuenerat ex pactis, Christianum & ipse professus, Gnesnæ baptismum simul & nuptias ritu solenni peregit. Et mox ad propagandam, per omnem principatum suum, religionem conuersus, nouem numero Episcopatus diuersis locis erexit. Quem subditi æmulati, inferioris quoque ordinis sacerdotibus, multa in oppidis & pagis templa extruxerunt, decimisque ac prædijs sufficienter locupletarunt. Cæterum quia nihil æquè ad religandos atque deuinciendos hominum animos valet, quàm religio, idcirco Volodimiro Russorum Duce, ditiones suas inuadente, constantiores exinde subditorum erga se animos, & Numinis fauorem expertus, facilè ferocientem hostem repressit: & parta ex eo victoria, principatum suum annis triginta quinque prosperè administrauit. Quinimo & contra rebelles domino suo, Bohemos, expeditionem feliciter peregit, Boleslaumque vxoris suæ cognatum in principatu locauit, magna celeritate Praga metropoli Regni expugnata. Atque ita paucissimis diebus totam rebellionem procerum compescuit, fusisque aliquot prælijs hostibus, regnum pacatum pupillo, in cuius gratiam arma sumpserat, reddidit. Ac tandem ipse ætate ac morbo confectus, diem supremum expleuit, Æræ Christianæ Anno 999. successore Boleslao Chrobrio gloriosissimo Principe relicto, conditusque est Posnaniæ honorificentissimè, cuius nos sepulchrum, ornemus breui Epitaphio, in hunc ferè modum.

Mic-

Miecislaus, Europeæ Sarmatiæ, Princeps Clarissimus, heic situs est. qui cæcis gentili errore parentibus, cœcus oculis natus, vtramque lucem miraculose aspexit. & quidem solis corporei, anno septimo ætatis; cum ritu Patrio ac solenni, primam comam deponeret. Solis autem iustitiæ, cum annis maturus, Christianæ pietatis vxorem, è Bohemia duxisset. hac igitur duplici gratia, cum reliquo virtutum, ac diuinorum donorum comitatu ornatissimus, & Poloniam è paganismo, ad euangelij agnitionem, exemplo suo; & Bohemiam, à rebellione, ad obedientiam legitimi Principis, armis victricibus, perduxit. profligatoq; sæpius bellicoso Russiæ Duce Volodimiro, cum annos quinque & triginta fœliciter regnasset, primus è Sarmaticis principibus, subterraneæ quietis, ac domicilij, christianus ciuis factus: qui longo ordine venientes Polonorum Reges complexu excipiat suo, expectans cum eis beatam spem, atque aduentum gloriæ magni Dei. Tu viator quisquis es. Christianum Principem, & venerare mortuum, & in cœlo regnantem cole. S. S. P.

 II. VO-

II. VOLODIMIRVS.

SI præclaras corporis atque animi virtutes, cum perpetua rerum gestarum felicitate conferamus, proculdubio Volodimirus, Suentoslai Russiæ Ducis, è Malussa concubina naturalis filius, non æquales modò suos, bellica laude, sed superiores etiam Duces anteibit. Nam si eos qui manus cum ipso contulerunt, enumerare velimus, liquidò constabit, fermè omnes aut cæsos, & captos ab eo: aut insigni accepta clade, fuisse profligatos. Mortuo namque patre, Nouogrodensium tantummodò Princeps fuerat constitutus: cum viuens ille, totum imperium, Iaropolco & Olgo, legitimis filijs distribuisset. Est autem Russiæ regio, per Asiaticam, & Europæam Sarmatiam latissimè extensa, quæ antiquitus, vniuersa vnicum Principem venerabatur; postea in Prouincias & Satrapias, filijs principum diuisa, illum superiorem recognoscebat, qui se Kiouiæ Monarcham appellabat. Nunc postquam Kiouia in ditionem Regiam Poloniæ cessisset, Russiæ quoque Dynastiæ bifariam sunt diuisæ. Et illa quidem pars, quæ in Europa iacet, Regno Poloniæ tota fermè adiuncta est: quæ verò vltra, & cis Tanaim, per Asiam extenditur proprium principem habet: quem nunc Magnum Moscouiæ Ducem appellamus. Volodimirus itaque regnandi cupidine incensus, fratrem vtrumque dolo sustulit, & tota Russia potitus, finitimos insuper Bulgaros, Croatas, Viaticos, Dulepios, & Iazuingos, bello adorsus, tributarios sibi fecit. Cum Piecinigis prospero Marte bella gessit: & Imperatoribus Constantinopolitanis, Corsunum vrbem Ponti, quam Chersonam vocat Sabellicus, eripuit, (sed reddidit postea, ducta in matrimonium, Anna sorore Imperatorum Basilij & Constantini; religioneq; Christiana insuper ex pacto suscepta) successibusq; tã prosperis elatus, proximas quoque Polonorum ditiones infestare non destitit: donec à Miecislao repressus, duodecim filijs totum imperium diuisisset. Et Visseslao quidẽ natu maximo Nouogrodum: Isaslao, Poloscum: Stopolco, Turouiam; Iaromiro, Rostouiam: Iaroslao, Tueram: Glebo, Muromum: Stoslao, Dereuos: Vsieuolodo, Volodimiriam: Mescislao, Torocanum dedit. Plescouiam verò Sudislao, Volyniam, Posuisdo, Borisso demum Smolenscum attribuerat, sibimet ipsi Kiouia Metropoli reseruata. Vbi pijs & quietis cõsilijs intentũ, & ex longa tabe tenue corpus, immẽso illo vigore animi, vix sustinẽtẽ, mors oppressit Anno Christi. 1008. ea hominum

hominum opinione, vt si ei fata longiùs vitæ spacium concessissent, veterum vel maximorum ducum gloriam, haud dubiè fuerit æquaturus. Nemo enim eo, vti ferunt Roxolani Scriptores, grauius atque prudentius de toto belli genere iudicauit: nemo incerta casuum feliciùs, ad consilium vertit: nemo in acie contemptiùs pericula despexit, aut omninò pugnauit ardentius. Cuius corpus speluncæ subterraneæ Kiouiæ illatum, quam Pieczovi vulgo dicunt, inter sepulturas reliquorum Heroum, etiamnum à Russis monstratur. Antiquitus enim Dynastarum suorum corpora nonnisi in specubus illis, qui longissimè sub terra excurrunt, condere solebant. Cuius vrnæ, honoris ergò huiusmodi Epitaphium appendamus.

Conditur hac exigua vrna, magnus Roxolanorum Bellator, Volodimirus. Illegitimo quidem ille thoro prognatus, illegitimeque paternum principatum fratribus interemptis adeptus: sed qui illud quidem egregijs bello facinoribus, hoc autem, vero numinis veri cultu, compensauit. Hic primus è Ducibus Russorum sacro fonte ablutus, accolis gelidi Borysthenis, lumen veritatis monstrauit; & vbi durus Getes habitat, per oras euxini, seruatoris Christi nomen propagauit. Populos feroces, & nulli vnquam parere Suetos, cupidine gloriæ, bellis perdomuit: & Dulepios, Iazvingos, viaticos, piecinigos, Bulgaros, croatas, cis & vltra carpatos, ac istrum habitantes, solus iugum subire compulit. Imperatores græcanicos, late per orbem dominatores, vel consanguinitatis fœdere, pacem

redimere adegit: cunctiſque hoſtibus per cir-
cum deuictis, Sarmaticum nomen etiam Ro-
manis metuendum fecit. Atque ita per omnia
fortunatus & fœlix, dum domum ſuam, ſenio
grauis, componit, & quietam vitam, poſt tot
triumphos & trophæa, viuere parat, in terris, vt
cœlo frueretur, eſſe deſijt. Anno virginei par-
tus, milleſimo octauo. Tu. Qui ſpeluncam per-
tranſis, dic magni herois oſſibus pia verba, ſi es
pius.

III. *BOLESLAVS CHROBRVS.*

VT religionis Chriſtianæ, primus è Principibus Sarmatiæ, Miecislaus
cultor fuit, ita Boleslaus eius filius, primus Regiæ dignitatis author,
Cum enim Ottho III. Romanorum Imp. ab Italica expeditione reuer-
ſus, ad Diui Adalberti ſepulchrum, voti exoluendi cauſa, in Poloniam ve-
niſſet, Boleslaus qui nuper paternum principatum ſuſceperat, excepto
Imperatore, vti par erat, honorificentiſſimè, Regium diadema ab eo im-
petrauit, & Polonorum ſuorum propenſas erga ſe voluntates, auctus hac
noua dignitate , tanto magis accendit. Quippe quos non indoles tan-
tùm eius egregia , ſed ſpecimen etiam virtutis, nec vulgare, nec vnum,
viuente patre ab eo editum , ſpe optimum impleret. Nam præter inge-
nij prompti & perſpicacis, ad omnia cum decoro atque dignitate ſeſe
accommodantis, acrimoniam: præter ſtudium laudis, rerumque &
hominum militarium, ſingulare: præter animi denique magnitudinem,
Summo Principe dignam, elucebat in eo rara modeſtia, verecundia, co-
mitas, ſuauitaſque morum grauitate temperata. Nullum intemperans di-
ctum aut factum, ſordes nullæ, ſed cum delectu ac iudicio paulatim ſeſe
proferens liberalitas, & cæteræ maiores virtutes, quæ magnoperè adoleſ-
centiam commendant. Nec ſanè ſpem & opinionem hominum fefellit.
Vexatus ſiquidem à Bohemis, Regem illorum, itidem Boleslaum nomine,
aliquot prælijs debellatum & captum, ad extremum luminibus priuauit:
filium

filium verò eius Iaromirum, in arce Viſſegradenſi expugnatum, cuſtodiæ
tradidit: regnumque autem vniuerſum, diſpoſitis per arces & oppida præ-
fectis, ſibi tributarium fecit. Deinde in Ruſſiam conuerſus, Ducem Ia-
roslaum, toties vires reſumentem, ad vltimum profligauit, & Kiouiam
caput regionis, inſignem ea tempeſtate (vt etiamnum ingentes ruinæ te-
ſtantur) vrbem, acri obſidione preſſam, per deditionem accepit: tributoq́,
Prouincijs impoſito, obſidibuſque acceptis, victor in Poloniam reuerſus
eſt. Cum tres columnas ferreas fixiſſet in Boryſthene, quâ Zula fluuius in-
fluit, ad memoriam victoriæ ſempiternam. Vbi & cognomen Chrobri, id
eſt, pertinacis, à Ruſſis accepit; à quo exinde & arcem à ſe conditam in
Polonia, Chroberſum appellauit. Ne autem ſui ocio torpeſcerent, bellum
Saxonibus anno 1012. intulit, & omnem illam oram latiſſimam, quæ olim
à Slauis & Polonis poſſeſſa fuerat, quos vulgo Scriptores Vandalos appel-
lant, vſque ad Albim & Salam fluuios, ac Cherſoneſum Cymbricam, mag-
na celeritate, in ſuam poteſtatem redegit. Hic itidem tres ferreas colum-
nas, in ripa Salæ, victoriæ ſuæ monumentum, & Regni Poloniæ limites
poſuit. Nec ita multò poſt, aliam rurſus expeditionem in Pruſſos ſuſcepit:
quos debellatos, tributum ſibi pendere coegit, & ad Religionem Chri-
ſtianam, quam propagare quoquouerſus inprimis ſtudebat, adduxit. Po-
ſita ſimiliter in Oſſa flumine ferrea columna, mille paſſibus ab oppido
Rogoſno: vnde vicina villa Slupi, hoc eſt columnæ nomen accepit, & ho-
die quoque habet. In omnibus autem hiſce bellis, periculoſiſſima quæque,
Boleslaus ipſe aggrediebatur: & vbi confertiſſimos hoſtes acerrimè pug-
nare conſpexiſſet, eò ſe ſemper immergebat, periculaq́ue ſua eſſe, non mi-
litum volebat. Pace verò per circuitum parta, auctoq́ue & propagato in
omnes partes cum laude atque gloria imperio, reliquum vitæ quieti, &
conſtituendæ domi Reipub. impendit: præcipuè autem iuſtitiæ admini-
ſtrandæ, & ſubleuandæ hominum miſerorum inopiæ. Et proinde ferunt
apud eum, quadraginta menſas longas dapibus inſtructas fuiſſe, ad quas
accumbere tenuioris ſortis hominibus quotidie liceret. Ita enim liberalis
erat, vt quid auaritia eſſet, neſciret, pecuniam verò prorſus contemneret.
Prouincias & oppida, atque omne Regnum, crebrò obibat, partim vt ius
ex æquo omnibus indigentibus diceret: partim vt priſcæ ſuperſtitionis ri-
tus extirparet. Vnde omnia, ad decus religionis, ſalutem Reipubl. orna-
mentum templorum, & præmia benè merentium de Republ. conferebat.
Ipſe tamen nuſquam ob res benè geſtas elatior, aut grauior viſus eſt,
ſed placidus ac benignus: nuſquam faſtum minaci ac truculento vultu præ
ſe ferens, ſed ciuilem atque amabilem beneuolentiam omnibus exhibens.
Cum

Cum autem laboribus & contentione animi, confectum atq; debilitatum se esse animaduerteret, indictis Gnesnam comitijs, Miecislaum filium successorem sibi, summo totius conuentus consensu designauit: atque paulò postin morbum incidit. Receptisque de more Christiano sacris mysterijs, tandem ingenti omnium dolore expirauit, cum annos viginti quinque regnasset, vixisset octo & quinquaginta. Igitur tam benè merenti Rege Polonia orbata, vniuersa sese ad mœrorem composuit, & annum integrū in luctu fuit, ita, vt neque conuiuia vlla, neque choreæ celebrarentur, neq; cultioribus vestibus quisquam nobilium virorum aut fœminarum sese vestiret, quod non tam illum amisisse, quam cum illo interijsse omnes viderentur. Cuius tot præclaras virtutes, piosque manes, nos quoque venerati, addamus postremò sepulchro, seu verius Cenotaphio eius regio, sequēs monumentum, præter id quod in Basilia Posnaniensi, vbi conditus est, filius eius Miecislaus, mœstique subditi posuerunt.

Clausit, viator, hoc marmor Boleslaum Chrobrum, Poloniæ Regem. Virum tota Sarmatia longè maximum: imò non virum, sed Heroëm, in toto Principum atque Regum Europæ catalogo, summis animi, corporis, fortunæ ornamentis clarissimum; & dignum, quem ætas omnis, posteritasq; deprædicet. Hic enim primus, Polonorum nomen Regia dignitate auxit; principum externorum necessitudinibus firmauit: & clarissimis rebus gestis vehementer illustrauit, atque religionem stabiliuit: Prussisq; ad Christum conuersis, ecclesiam numero credentium, augustiorem reddidit. Ferosque & agrestes tum homines, ad ciuiliorem aliquanto vitæ cultum redegit. Et quod maximè talem ac tan-

tan-

tantum bellatorem decuit, militarem disciplinam, proprium decus Sarmaticæ gentis, neglectā in staurauit, regnumque Poloniæ, propagatis longe lateq; Pomerijs, borysthene, Albi, & Sala fluuiis, carpaticis montibus; & Germanico Oceano: gloriam verò nominis Poloni, ijsdem penè, quibus orbis terrarum clauditur, finibus terminauit. cum vixisset annos LVIII. tantum. regnasset nonnisi XXV. hunc tu viator, velut nouum herculem, columnas ferreas, æternum victoriæ suæ monumentum, erigentem; & venerare, ob sublimitatem: & apprecare quietem, ob pietatem. Virtutem posteri imitantor.

IV. *LESCVS ALBVS.*

INsigni herclè humanarum rerum exemplo Lescus Albus, inter maximè ærumnosos Principes, diuque alternæ fortunæ fluctibus iactatos censeri potest; vtpote qui à patruo suo, ter principatu vna cum matre eiectus, vitam sępè inter spes & metus valdè solicitam transegerit: nec tamen vnquam animum desponderit; quod ipsum certe fatalis prope in eo fortitudinis, & infractæ constantiæ documentum fuit. Post obitum namque patris Cazimiri, omnium procerum consensu, puer adhuc, princeps declaratus fuit, cumque Helena matre imperium administrare cæperat: cum interim inopinatò Miecislaus patruus, collecto grandi exercitu, deicere eum contendit: congressusque cum Palatino Cracouiensi, qui curator Lesci, pro eo pugnabat, apud Mosgauam amnem, funesto & ciuili bello decertauit. Vbi

dum

dum atrocibus vtrinque animis, à mane vſque ad veſperam pugnatum
eſſet, Miecislaus ad extremum victus, & ſaucius profugit: amiſſo filio
Boleslao, egregio iuuene, qui inter primos fortiter pugnans, in conſpectu
patris, haſta traiectus occubuit. Sed cum idem Palatinus poſt obtentam
victoriam, decreto Senatus, cum omnibus copijs in Ruſſiam fuiſſet ablega-
tus, vt Romanum Ducem Vlodimirienſem, ad Halicienſem Principatum,
tanquam vaſallum Polonorum deduceret; Leſcuſque puer, omnino cum
exercitu illo proficiſci ſtatuiſſet, (Pertæſum ſe eſſe mollis & ocioſæ vitæ,
inquiens, quam eo vſque inter cœtus muliebres, apud matrem exegiſſet:
velle deinceps armatum, inter armatos viros verſari, & quæ boni impera-
toris eſſent munera, vſu condiſcere: Quod ſi non impetraret, tamen vel cũ
vno Comite ſe caſtra ſecuturũ.) Miecislaus, quod vi extorquere non pote-
rat, ad aſtus & fraudes conuerſus, muneribus procerum animos corrupit,
& blandis ſermonibus atque promiſſis, Helenam conſilij inopem, delini-
uit, ſeque vltrò tutorem pupilli fecit. Itaque approbante ſenatu, & indolem
dignam principe, & neutiquam degenerem à maioribus ipſius certatim ex-
tollente, Leſcus cum exercitu proficiſcitur, Palatini Crac. cuſtodiæ com-
mendatus. Qui Halicienſes cum inſtructo exercitu obuios habẽs, minimo
negocio eos in fugam coniecit, Sacramentoq; ab eis recepto, imperata fa-
cere iuſſit. Cum verò dimiſſo exercitu victor Cracouiam reuerteretur, Mie-
cislaus patruus, procerum ſuaſu, Cracouiam occupauit, & Leſcum reducẽ
principatu deturbauit, conſentiente etiam ipſa matre Helena, quæ pollici-
tationibus eius illecta, aſſumpto ſecũ filio puero, Sendomiriam commigra-
uit. At poſteaquam non ſtetiſſet pactis Miecislaus, & nonnullos ex proceri-
bus, poſſeſſionibus illorũ deturbaret: deturbatus & ipſe ſtatim principatu
fuit: ac Leſcus iterum cum Helena matre accerſitus, arces omnes, atq; oppi-
da ditionis Cracouienſis, nullo negocio recepit. Sed non deſtitit nihilomi-
nus, deiectus principatu Miecislaus rurſus ad eũ aſpirare: & quia bello eum
repetere perdifficile eſſe duceret, idcirco Helenã iterum blanditijs atq; do-
lis aggreditur, promittitque multa, ſuadet, iurat, & minatur. Ac deniq; per-
mittente inconſtanti atque credula muliere, quæ ciuiles tumultus vereba-
tur, & maximoperè bella ſubterfugiebat, inuadit principatum & poſſidet.
Cæterũ non diu illo gaudet: inopinata etenim morte oppreſſus, finẽ turba-
rũ fecit; dignus herclè eo patriæ dominatu, niſi ingeniũ eius impotentes li-
beri, auaritia, libidine, & crudeli faſtu cũcta perturbantes, ad exitialẽ inſo-
lentiã propuliſſent. Leſcus autem, iam ætate adultior, tertio ad principatũ à
proceribus vocatus, venire amplius recuſauit, quod ſibi cõditio eſſet appo-
ſita. Gouoricium Palatinum Sendomirienſem, ab aula relegare: cuius ille fi-
deli ſemper opera, & conſilio vtebatur. Eo verò magis, quod eum, licet cũ

ctantem, Gouoricius vltrò hortaretur, ne ſua cauſa tanta commoda ne-
gligeret. Malè, inquiens, ſibi ſuiſq; poſteris Leſcũ conſulturũ, ſi propter ſe v-
nũ ſeniculum, & paucos, atque eos incertos dies vitæ ſuæ, in aliam familiam
transferri principatum ſinat. Libẽter ſe pro eius commodis atque honore,
in exilium abiturum, pro quo vitam quoque ponere deberet. Cæterũ Leſ-
cus negauit tanti ſe facere principatum, vt eius adipiſcendi gratia, tam fidũ
conſiliarium proderet, immerẽtemque magiſtratu ſimul & patria eijceret:
proinde, alium ſibi proceres, iſtis legibus Principem quærerent. Itaq; Sen-
domirienſi ducatu contentus manſit, & cum interea temporis Ruſſi nume-
roſo exercitu Poloniam ingreſſi, eius quoque ditiones populationibus va-
ſtarent, occurrens eis celeriter Leſcus cum ſuis legionibus, prælium cum ijs
iuſta acie ad Zauichoſtum inijt, & ad internecionem ferè omnes deleuit,
occiſo & duce ipſorum Romano Halicienſi Principe, quem non ita pridẽ
ipſe Leſcus, ad eum principatũ armis promouerat. Ingratum itaq; ſua ne-
meſis perſecuta eſt, Leſcus autem magnam profectò hac victoria virtutis
opinionem, apud ſuos pariter atque exteros conſecutus. Quare ſummoto
principatu Vladislao Laſconogo Miecislai filio, Leſcum iuſtum principem
proceres, concordi oẽs voluntate, tertio ſublimarunt Anno reparatæ ſalutis
1206. Quo nemo ætate illa è Sarmatiæ regulis, vel ingenio acutior, vel illu-
ſtribus bello factis præſtãtior fuit: quippe qui ſecundo illo cũ Ruſſis prælio,
& maximè ardentis, & imperterriti bellatoris laudẽ, apud oẽs fuerat conſe-
cutus. Igitur imperio admotus, Meſcislaum Roxolanum, cũ Polouucijs &
Ruſſis ſuis Poloniã inuadere parãtem, ita vnico prælio profligauit, vt cæſis
in acie permultis millibus, quinque inſuper Ruſſorũ Duces, per Sulislaum
Caſtellanũ Sendomiriẽſem captos, in triumphũ duceret. Quos aliquandiu
in vinculis habitos, poſtea dimiſit: & nullũ deinde quoad vixit bellũ geſſit,
pacis artibus totus deditus. Ductaq; vxore Grimislaua, Iaroslai, vnius ex ca-
ptiuis illis Ducibus, filia, Boleslaum ex ea filiũ, qui poſtea Pudicus appellatus
eſt, ſuſcepit: atque demũ in Maiorem Poloniã profectus, ad Marcincouum
pagum à Suantopelco citerioris Pomeraniæ Satrapa, quod Ducem eum
creare noluiſſet, fraude circũuentus interijt. Anno virginei partus MCCVII.
Offenderat etenim eum Suantopelcus in balneo ſe lauantem, nec quic-
quam à vaſallo ſuo hoſtile ſperantem; quem cum ad ſe armatum venire
Leſcus animaduertiſſet, proſiluit ex aqua nudus, & equum caſu ab ho-
ſtibus procurrentem nactus, fugæ ſe totum commiſit: ſed vbi effugere in-
ſequentium manus non potuit, conuerſo equo, ne inultus caderet, nudus
propemodum cum armatis dimicauit. & ſic fortiter occubuit. Cum annis
triginta tribus regnum proſpere adminiſtraſſet. Corpus Cracouiã relatũ,
& iuſtis exequijs per totã Poloniam parentatum; ſiquidem eum omnes ho-

minum ordines luxere, tanquam Patriæ parentem, incredibili herclè cum mœrore: præsagientes vtiq; verissimis lachrimis, imminentem durissimorũ temporum conditioné, qua cunctas, à superuenientibus Tartaris, acerbitates mortis perpessi, omnino crudelius atque funestius à digladientibus inter se de regno Dynastis, quam ab hoste, concasuras ipsorum fortunas diuinarent. Sed & nos tam inclyto Regi, hoc monumentum, virtutis, rerumque gestarum gloriæ ergò, meritò inscribendum duximus.

Iacet sub hoc marmore, viator, inclytus Poloniæ Princeps Lescus, cognomine Albus. Dignus, ob fati sui atrocitatem, planctu lachrimisq; posterorum. cuius heroicam fortitudinem, in pueroadhuc, tota demirata est Sarmatia: cuius generosum pectus, & Fortunæ suę contemptorem animum, in adolescente, venerati sunt vniuersi Poloniæ ciues: cuius continuas in ætatula illa victorias, & triumphos, extimuerunt omnes vicini populi. is siquidem decennium vix egressus Haliciẽses Russiæ populos, graui prælio deuicit, & duce illis imposito, imperata facere compulit. paucosque post dies, rebellionem molientes, fœdissima strage ad Zavichostum cecidit: duce etiã ipsorum Romano occiso, diuina Nemesi ob ingratitudinem eum persequente. idem paulò adolescentior, principatum Poloniæ, à quo bis iam fraude Miecislai patrui, cum matre Helena, deciderat, à proceribus regni oblatum, animose contempsit, ne amicum relegaret, cuius consilio vtebatur. susceptum deinde, ita prudenter & moderate rexit, vt omnium opinione, optimus haberetur. quiq; tumidos Russorum animos, statim ab inauguratione, vno prælio ita contundit, vt quinque simul eorum Dynastas, in triumphum duceret: & pacem sibi in posterum, ab omnibus vicinis Principibus, vel sola hac victoria compararet. hic igitur tantus & tam inclytus bellator, dum regni sui Prouincias obit, & singulas satrapias lustrat, proch Scelus, à vasallo suo inopinato perit. (is fuit Suantopelcus Pomeraniæ citerioris Toparcha) qui dum ducis titulũ à Lesco impetrare nequit, nihil hostile metuentem, principem suum, in balneo circumuentum, cum armatis opprimit: anno virginei partus MCCVII. Tu quisquis es: si pius es, ne parcito lachrimis. & iuuenis optimi, dole vices.

BOLESLAVS CRIVOVSTVS. V.

QVis altior fuit inter Sarmatas, & excelsior Boleslao Criuousto? quis natura ad res præclarè gerendas excitatior? Hunc legimus nouennalem adhuc à patre missionem efflagitauisse ad bellum Bohemicum, quasi per-

perræsum ignauiam suam, quod nihildum à se memorabile actum esset: in ætatula illa, qua cæteri Principum filij, trocho aut nucibus ludunt. Itaque genua patris amplexus exorauit, vt cum Sececho Palatino Cracouiensi mitteretur: nam Vladislaus pater, aduersa valetudine affectus, ipse ad eam expeditionem ire prohibebatur. Vbi ad exercitum ventum est, puer singula quæ fiebant curiosius obseruare, versari inter ordines, omnibus arridere, æstum, algorem, imbremque pati, vigilare, humi cubare, vigilias cum Sececho obequitare, aliaque multa præter ætatem facere ferrequeuita, vt indoles illa, studiumque pueri, futuram eius magnitudinem non obscurè portenderet. Igitur terram hostilem ingressus, cuncta ferro ignique deuastauit: profligatisq; quæ sese opposuerant Bohemorum copijs, Morauiam vniuersam depopulatus est, & ad patrem cum exercitu incolumi, atque præda onusto, sub autumnum redijt, vt militem in hyberna dimitteret. Nec diu tamen à bello feriati sunt: subitò enim Boleslaum pater, hac gloriæ face incensum, ad Cassubios compescendos, Sécechi iidem curæ fideique commissum, miserat: namque illi Medirecia arce fraude intercepta, prædones ad se vndiq; aggregabat, & latrocinia inde in subiectas oras passim exercebant. Horum itaque excursionibus Boleslaus fortiter repressis, & arce ipsa intra paucos dies expugnata, cum totam prouinciam pacasset, ad patrem ouans reuersus est. Jterumque contra Pomeranos, atque eosdem Cassubios, sese occasione belli ciuilis inter Polonos, subleuantes, à patre Vladislao, absque collega iam, seu curatore missus, iusta acie bis profligauit hostes, & summa celeritate confecto bello, victor cum longo captiuorum agmine, amplisque spolijs ad patrem redijt. Qui alendam laude atque honore, præcocem adolescentis virtutem existimans, baltheo eum militari, quatuordecim annos natum, cingere statuit, atque vnà nobiles iuuenes, qui virtutis aliquod specimen, cum eo militans ediderant. Conuocatis itaque vtriusque ordinis primoribus, ad præstitutam diem Plofcum, cum omnis lætitiæ modos, & ludos militares peragere inciperet, ecce nunciatur interim, Pomeranos reassumptis viribus, summa vi Santocum arcem & oppidum oppugnare. Itaque Boleslaus cum equitibus, quos ad manum tunc habere poterat, nequicquam retinentibus patre & proceribus, ad ferendam obsessis opem, celeriter excurrit: & continuato die noctuque itinere, summo diluculo in hostes, securos ab ea parte, irruit; perterritosque inopinato eius aduentu, vel contrucidat, vel capit: atq; mox ad intermissam celebritatem Ploscum, trophæa deferens, reuertitur, & ingenti lætitia patrem omnesque perfudit. Jdem anno insequenti, qui fuit à Christi ortu millesimus centesimus secundus, patrem iam iam moribundum

bundum exhilarauit, profligato ad Vistulam validissimo Russorum exercitu, & penè ad internecionem deleto: qua victoria senex audita, pridie Nonas Junij lætus sanè expirauit, eumq; moriens sceptri hæredem fecit. Cuius ille tanto desiderio tenebatur, vt diu lachrimis & fletibus non temperaret: gestabatque de collo suspensam eius imaginem auro incisam, qua subinde memoriam eius sibi refricaret, & quicquid vel faceret, vel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia & exaudiente patre. Non eodem sanè modo frater eius Sbigneus, patris mortem tulit, quem vt primum expirasse inaudijt, extemplò manus thesauro iniecit, qui in arce Plocensi asseruabatur. Sed proceribus sese interponentibus, partē tantummodò accepit: & statim ad Boemum, hostem patriæ se cōtulit, vt inde commodius exitium moliretur fratri, qui legitimo matrimonio natus, legitimè in principatum successit, Sbigneo tāquam notho excluso. Cum igitur Boleslaus luctu annuo exacto, nuptias suadente senatu, cum Sbislaua Stopolci Michaelis Kiouiensium Principis filia, solenniter celebraret, ille sumpto Bohemi exercitu, in ditionem Boleslai ingressus, arcem Grezam appellatam, oppugnare cœpit. Ergo Boleslaus subsidio suis Zislaum ducem summisit, & vt populationibus continuis totam Morauiam vexaret, imperauit. Et is non prædas tantum inde, vti iussus erat abegit, sed instructa etiam acie, cum Suatopelco Morauorum Duce decertauit: vbi dum vtrinque acriter res gereretur, Zislaus vt victoriam suis pararet, non ducis modò, sed militis quoque officio functus, dextram in eo prælio amisit. Quem Boleslaus collaudatum pro meritis & virtute, aurea manu donauit: ipseque deinde cum iusto exercitu Morauiam ingressus, vniuersam ferè, nemine prohibente depopulatus est. Similiter & Pomeraniam; Scarbimiro equitum magistro in illa expeditione rem strenuè agente. Cum quo, dum ad equitis cuiusdam nuptias cohonestandas Boleslaus descendisset, & paulò hilarior, venatum in proximam syluam, cum centum equitibus, è conuiuio se proripuisset, in Pomeranos, qui tunc fortè in Poloniam, sua damna compensaturi, tria millia equitum excursionem faciebant, inopinatò incidit: & fugere turpè ratus, manus cum illis, magno animo conseruit: perruptoque iterum atque iterum hostili agmine, stragem in eis maximam edidit, & tandem septuaginta de suis amissis, atque equo ex vulneribus deficiente, saluus euasit, hostibus in stuporem versis, & persequi abeuntem non ausis. Siquidem sui, re cognita, ad ferendam Principi periclitanti opem, passim è conuiuio accurrebant: temeritasque Principis prosperum euentum sortita est: licet Scarbimirus valdè fuerit consauciatus, & dextrum etiam oculum

oculum amiserit. Verum enimuero iste, cum valido postea exercitu à Boleslao in eos missus, satis superque vltus est vulnerum suorum: superueniensque Boleslaus ipse, postquam Bialogrodenses ferociores cæteris fortiter expugnauisset, totam facilè Pomeraniam in potestatē suam redegit, Gneuomirumque Ciarnicouensem Dynastam Christianum fieri iussit, atque eum ipse de sacro fonte leuauit. Gessit Boleslaus & cum Hungaris, Bohemis, Germanis, Russis, Pruthenis, Danis, alijsq; bellicosissimis populis atrocia bella, quæ sigillatim describere longū sanè esset: duas tantūmodò præcipuas eius victorias attingamus, quarum prima fuit illa toto orbe celeberrima, quum Henricum V. Imperatorem, ad Vratislauiam, cum numerosissimo exercitu profligasset: vbi locus pugnæ, etiamnū hodie campus Caninus appellatur, quod insepultis corporibus Germanorum, tanta eò vis canum conuenisset, vt difficilem transitū præberet iter facientibus. Altera verò ad Naclum, vbi de quinquaginta millibus Pomeranorum, viginti septem millia cæsi in acie, capti bis mille: exceptis qui in fuga, lacubus atque paludibus, vt est aquis plena ea regio, hausti perierant. Cæterum, quia nihil omni ex parte beatum, nihilque stabile in rebus humanis fortuna esse finit, eius quoque felicitatem, qui quadragies septies victor euaserat, nonnulla ex parte contaminauit. Circumuentus siquidem ad Haliciam fraude Russorum, cum satius duceret honestè occumbere, qui semper solitus esset vincere, quàm fugiendo victoriam vltrò hosti concedere, desertus ab omnibus, coactus est tandem & ipse sibi fuga salutem quærere. Orto etenim fugæ initio, à Vsborio Palatino Cracouiensi militiæ magistro, solus penè, vel cum paucis in acie remansit: cum quibus militis pariter & imperatoris officio fungens, magnam nihilominus stragem in hostibus edebat, ne inultus mortē oppeteret: Sed quum iam equum multis vulneribus confossum amisisset, gregarij cuiusdam & obscuri militis suasu, præsenti se morti eripuit: qui, vt patriæ magis, quàm gloriæ suæ rationem duceret, fugaque melioribus se rebus seruaret, orauit, & eum equo suo imposuit. Itaque reuersus in Poloniam, Palatino quidem fugæ authori, pellem leporis, colum, & fusum misit, meticulositatem eius & animum muliebrem notans: (qua ignominia ille ad voluntarium suspendium adactus est) militem verò salutis suæ authorem (nam & is fortè saluus è prælio euaserat) baltheo equestri, & amplis possessionibus remuneratus, etiam ad honores & magistratus euexit. Ipse autem conspectum hominum exinde & colloquia vitabat, pudore simul ac dolore stimulantibus: exque mœrore illo & anxietate animi, in languorem corporis breui & morbum lentum incidit: neque ita multò post, sacris Christianorum mysteriis perceptis, vita excessit, maximo totius Poloniæ desiderio,

cum

cum regnasset anno 36. vixisset 53. Funus Ploscum solemni pompa elatum, & iuxta patrem conditum est. Cuius nos sepulchrum, quia auro gemmisque ornare non possumus, verbis saltem scribendo Epitaphio, pro modulo nostro cohonestemus.

Vides hanc templi molem, viator, vide etiam intus nobile pario lapide mausolæum. in quo, Boleslaus, Patre Vladislao Hermanno, matre Iuditha, Vratislai Bohemorum Principis filia, sanctissima fœmina natus, cognomine Criuoustus, repositus quiescit. magnus, & incomparabilis Sarmaticæ gentis heros: miles strenuus & audax: Dux prouidus & solers: animosus imperator & fœlix: siq. ætatem, qua in castris versari cœpit, consideres, pullum martis dices. quadragies enim septies, de Bohemis, Germanis, Russis, Hungaris, Borussis, Cassubijs, Danis, atque Pomeranis victor, maximorum regum famam, rerum gestarum fœlicitate continua exæquauit. idem, pacis artibus clarus: iusti & æqui obseruantissimus; modestiæ & clementiæ cultor singularis fuit; in milites vero & egenos liberalissimus: laudis & gloriæ immortalis cupidus, adque beneficentiam natus, prius certè vivendi, quam bene de omnibus merendi finem fecit. Vndecima ætatis suæ olympiade. æræ autem Christia-

næ,

næ. MCXXXVIII. cuius immaturam mortem, non modo ſubditi, ſed hoſtes etiam ipſi, & circumuicini populi diu luxere.

Hoc volebam, vt ſcires, viator. Abi,
Et manibus tanti Herois bene precare.

VI. *CAZIMIRVS MONACHVS.*

LIceat armatis, cucullatum quoque inſerere, & ab inſigni erga patriam pietate, æternis ſcriptorum præconijs celebratum; quin nec militarium ciuiliumque artium imperitum, in hanc militarium virorum palæſtram producere, Cazimirum videlicet Regem, regia ſtirpe prognatum: hoc eſt Miecislai Regis filium, Boleslai Chrobrij nepotem. Sed poſt obitum patris, à ciuibus ſuis ob crudelem Rixæ matris Dominatum, patria pulſum. Cum hac ille in Germaniam delatus, cum in aula cognati Jmperatoris, nihil opis inueniret, & paulò poſt inde, in Gallias ſtudiorum cauſa ablegatus eſſet, quietiorem ſecurioremque vitam amplexus, Cluniaci habitum religioſum ſumpſit, ſacriſque pro more admotus. Diaconi iam officium peragebat. Cum ecce interim Poloniæ ciues, toto ſeptennio, internis externiſque malis attriti, publico eum decreto ad capeſſendum paternum ſolium, reuocandũ ſanxerunt: ſolutumq; Sacramento, à Benedicto IX. Pontifice Max. ſumma omnium ordinum lætitia, Gneſnæ de more inunctum ſublimarunt. Qui mox ad componendam Rempubl. animo adiecto, pacem inter diſſidentes feliciſſimè confecit, vicinorum fœdera renouauit, & cum Principe Ruſſorum Iaroslao (qui impoſitum ſibi à Boleslao Chrobrio iugum, patre Cazimiri, Miecislao regnante excuſſerat) affinitatem inijt, ſorore eius Maria, cum ampla dote in vxorem accepta. Tum demum ad bella conuerſus, illos imprimis armis perſequendos eſſe duxit, qui ducem Maſouium, ex pocillatore regio, tyrannum factum, ſecuti auſu temerario, ſe Maſſouios appellarunt, inque belli ſocietatem, contra Cazimirum, Pruſſiæ populos omnes pertraxerunt. Fit igitur acre prælium, hinc iuſta ira, illinc veniæ deſperatione pugnante, & potentiam, dignitatem, vitamque ipſam vtriſq; vel vna alea conſeruare conantibus: ſed franguntur tandem funduntur que coniuratorum acies, & dant manus victori Regi: Maſouij etiamnum ab illo tempore ſic vocitati; verùm Dux ipſe author belli fuga

fuga elapſus ad Iazyges ſeſe contulit. Quibus interregni tempore, ob certamina potentium, & auaritiam magiſtratuum itidem ad rebellionem proruentibus, bellum facilè perſuaſit contra Polonos; & nunc acie profligatus, non modo auxilia ab illis tributa Cazimiro denegantibus impetrauit, ſed validos quoque exercitus. Cum quibus iuſto prælio Cazimirus, alias multitudine illorum perterritus, fortiter dimicans, miraculosè demum victoria potitus eſt. Conſpecta etenim in acie, auguſta ſpecie iuuenis cuiuſdam, qui candido equo inſidens, in hoſtiles turmas vexillum inferebat, ita animos ſumpſerat in rebelles, vt cæſis in acie quindecim millibus, captiſque duobus, ad ſoliti eos tributi penſionem adigeret: atque exinde cæteris metuendus, vniuerſum regnum facillimè pacaret. Sed & Bohemos ex eadem occaſione, ſeſe in libertatem vendicantes, poſt aliquot feliciter peracta prælia, vectigales ſibi reddidit. Hiſque peractis, ad pacis artes conuerſus, ita rempub. gubernauit, vt nobilitatem in honore habere, populum alere, & patriam tranquillitate atque opibus florentiſſimam reddere, aſſiduè contenderet. Erat enim in pupillos & viduas clemens & beneficus, in militares viros liberalis, in Eccleſiaſticos homines inprimis propenſus, in omnes autem iuſtus, comis & benignus: & vt vno verbo dicam, Chriſtianis moribus princeps. Qui cum decimum octauum regnaret annum, graui morbo afflictus, quarto demum Kalendas Decembris, extremum vitæ diẽ clauſit, Anno reparatæ ſalutis 1058. duobus filijs Boleslao atque Vladislao relictis: tumulatuſque ab ijs Poſnaniæ, cunctis collacrimantibus. Cuius nos ſepulchrum, Epitaphio ſcripto pro virtute, cohoneſtemus.

Subſiſte parumper viator, ſi placet, & quis hoc tegatur tumulo, lege. Fuit hic Cazimirus Monachus, primus eius nominis, Rex Poloniæ, primuſque inter Sarmatiæ principes literas callens. Qui matris culpa exilium paſſus, ſacriſque in Benedictina Religione deſtinatus, exſacrante Benedicto Pont. IX. tandem ſenatus decreto, in patria redijt: & cuncta diſcordijs ciuilibus peſſa,

 nomi-

nomine Regis ſub imperium accepit: proſtratamque ferrei ſeculi iniurijs Poloniam, vſque adeo felici rerum omnium prouentu erexit, vt priſtinæ amplitudinis ornamenta reciperet: & poſt deuictos rebelles Maſouios, Iazyges, atque Bohemos, pace pulcherrima ſub illo floreret. Hic igitur tam clarus pace, tam glorioſus victorijs, tamque charus ſubditis, & hoſtibus metuendus Princeps, cum XVIII. feliciter regnaret annum, lento morbo correptus, deceſſit ex mortalibus, non plane ſenex, ab ortu mundi rediuiui. MLVIII. anno. Et inter priſcæ ætatis heroes, mirifica pietate, in cœlo Beatas ſedes meritos, æterna nunc felicitate perfruitur.

VII. BOLESLAVS AVDAX.

NOn abs re ſapiens quidam dixit. Magnanimitatem moderatam eſſe debere: cum plerunque ad iniuſtas res impellantur, qui nimirum ſui pleni, & gloria, & magnanimitate, plus quam par eſt, efferuntur: imò eò inducuntur, vt Deum contemnant, religionem faſtidiant, leges negligant, bella vicinis temerè inferant, monitores aſpernentur. Quod in Boleslao Rege manifeſte videre eſt: qui licet ab adoleſcentia honeſtè ac liberaliter educatus, bonæ maturæque frugis ſpem præberet, virque deinde factus ſecunda virtutis fama militiæ verſaretur: tandem ad extremum impigit, & ex optimo bellicoſiſſimoque Rege, Tyrannis factus adeò acerbus, vti iam illius nomen toti mortalitati res ſit inuiſa atque deteſtabilis. Quem dum inclytis Sarmatiæ noſtræ Heroibus inſero, non committam equidem, vti, quod

quod omnes meritò reprehenſione dignum cenſent. id ego probare vllo pacto videar. Scio enim, & doleo medius fidius, fuiſſe illum occiſorem Sancti Epiſcopi, & in ſubditos plus iuſto atrocem. Turpe profecto facinus: & quod furiarum vltricibus pœnis multandum haud negamus. Verum ea res, etſi illum è numero Optimorum principum expungit, interque crudeles locat, tyrannoſque: tamen nunquam efficiet, vti propterea maximis accenſeri heroibus non debeat, qui rebus præclarè geſtis Sarmaticum noſtrum cœlum exornarunt. Tradunt etenim rerum noſtrarum ſcriptores, tanta eum animi magnitudine, & virtute præditum fuiſſe, vt inuicto ſpiritu altitudineque ſolertis ingenij, & vi eximia corporis, peritia & fortuna belli, maximorum imperatorum gloriam æquaſſe cenſeretur. Is ab ineunte ætate, cunctis belli artibus inſtructus, viros fortes liberalitate vndique ſibi aſciſcere, magno ſumptu explorare hoſtium facta dictaque, induciarum belliq; gerendi occaſiones præſentire, victorijs modum imponere, fortuita incidentium caſuum præſenti ſemper ingenio ad conſilium rationemque flectere, probè didicerat. Ad quem, cum primis tribus annis, tres illuſtres exules, (Jzaslaus Princeps Kiouienſium: Bela Dux Hungariæ, Andreæ Regis frater: & Iaromirus, Prædislai Bohemorum Principis filius) confugiſſent, magnam ei materiam ſequentium bellorum præbuerunt. Atque inprimis Vratislaus Bohemorum Princeps permoleſtè ferens, receptum ex fuga, fratri ſuo Iaromiro in Polonia patere, cum infeſto exercitu Sileſiam ingreſſus, omnem ferè eram populatus, igni terroque vaſtauit. Quo Boleslaus permotus non tantum inopinantem celeriter cum ſuis copijs ſuperueniens repreſſit, ſed etiam vniuerſam Morauiam, quæ Bohemi erat, bello oppreſſit: adeò, vt Vratislaus pacem petere cogeretur; & Boleslai ſorore Suatana, in matrimonium accepta, Iaromirum fratrem in gratiam reciperet: qui Pragenſis primo, deinde Olomucenſis Epiſcopus fuit. Interim Pruſſi contemnentes Boleslai Regis adoleſcentiam, & quod eum Bohemico bello diſtineri ſciebant, rebellarunt. Pomeraniamque finitimam depopulati ſunt, atq; arces nonnullas, quò ſe cũ præda recipere poſſent, fortiter communierunt. Verũ Boleslaus dicto celeriter in eos exercitu, ingenti ſtrage ad Oſſam fluuium edita, breui ſpatio in poteſtatem ſuam redegit. Mox Pruſſicum bellum excepit Hungarica expeditio; nam Boleslaus Belæ exulis precibus fatigatus, reducere eum, tãquam propinquum ſuum inſtituit; & tribus agminibus Vngariam ingreſſus eſt. Nec Segnius Andreas Rex hoſti aduentanti ad Tibiſcum amnem occurrit, magnas Hungarorum,

Germanorum & Bohemorum copias ducens. Et Germanis quidem, ab Henrico III. Imperatore missis, Guilhelmus & Bothus, duces præfuerunt. Bohemis Vlatislaus ipse Princeps, fœderis & cognationis nuperrimè factæ oblitus, præerat. Concurritur itaque infestis signis, & aliquot horis dubio Marte pugnatur. Ad extremum, ceditloco Andreas, & omnes suæ copiæ; & Boleslaus victor, Vratislaum Bohemorum Principem atque Duces Germanorum captos, in triumphum in Poloniam duxit. Belam verò Albe Regiæ in sede regia collocauit, cum Andreas fugiens in Sylua Bocouiensi à suis oppressus esset. Reuersus itaque Boleslaus, summo studio ad bellum Russicum se præparabat, & Izaslaum cognatum conuocatis exercitibus deducere volebat; cum interim trepidi Roxolani ad Izaslaum accurrunt, & rediret pacificus in patriam reciperetque vniuersos sub tutellam, obnixè orant. Restituto itaque Boleslaus in paternum principatum Izaslao, sequenti anno statim Præmisliensem ducatum suæ ditionis fecit; & dum immoraretur ibi Salomon Andreæ filius ab Henrico IV. Imper. affini suo in Hungariam post obitum Belæ, reductus, Geisam, Vladislaum, & Lampertum, filios eius regno expulit: qui supplices ad Boleslaum recta, & opem implorantes venerunt. Igitur ille, reducendos ratus, iterum cum infestis copijs Hungariam intrauit: & Episcoporum cura, his conditionibus eos in patriam restituit, vt Salomon duas regni partes cum regio honore teneret, illi tertiam, ducum nomine contenti. Quo confecto, dum ad continuandum Russicum bellum regreditur, reperit Izaslaum principatu Kiouiensi iterum à fratribus, prætextu controuersorum finium, illato bello eiectum. Itaque æstate quæ secuta est in Volhyniam mouens, vniuersam prouinciam anno illo debellauit, Duce ipsorum Georgio, post longam obsidionem sese dedente, & promittente datis obsidibus, imperata facturum. Anno sequenti deinde, ad Kiouiam mouit: & obuium Vseuolodum cum exercitu habens, fortiter cum eo conflixit, plusque mille de suis amissis, in fugam eum conuertit. & non multò post Kiouiam ipsam obsidione & oppugnationibus afflictam, in suam potestatem recepit, vectigaliaque toti Russiæ imposuit, Izaslao summæ rerum præposito. Cæterùm quia diutius ibi quam oportebat, vrbis amœnitate captus, immoratus est, totum robur hominum nostrorum, illecebris opulentæ vrbis, vt Pœnorum olim apud Capuam, elanguit, & ille victor exercitus, deuictæ vrbis lasciuia & flagitijs victus est. Qui dum soluta disciplina, demum diffugere cœpissent, veritus ne Russi, despecta paucitate Polonorum, opprimendi sui consilium inirent, raptim cum relquis consequitur. Et à quibus initium fugæ ortum erat, eos capitali pœna affecit, tam insueto more puniendi, vt etiam in vxores illo-

illorum sæuiret. Tum & ipse fœdis libidinibus irretitus, non iusiam amplius dicebat, aut vindicabat iniurias tenuiorum, sed ad auaritiam versus, nouis plebem grauibusque exactionibus premebat, sed nobilibus matronis palàm per adulterium abutebatur, sed scelera indies varia grauioraque sine verecundia committebat. Quæ dum Stanislaus Episcopus Cracouiensis, vir innocentissimæ vitæ, magnæque sanctimoniæ acriusarguit & obiurgat, Boleslaus furore percitus virum integerrimum ad altaria rem diuinam facientem, occidit. Itaque Pont. Max. Gregorius VII. toti Poloniæ sacris interdixit, & Boleslaum diris deuouit: qui inuisus omnibus, conspirare in se subditos animaduertens, in Hungariam cum filio Miescone profugit. Inde exagitante conscientia, clam vltrò inter Alpes abijt, & in Monasterio Carinthiæ Ossia, propè oppidum Feltkirchen, in coquinæ ministerio vitam finijt: ibidemque sepultus in Cimiterio Ecclesiæ. Visum autem est nobis & hunc conuenienti epitaphio vel honorare, vel plangere.

Quod nouisse iuuabit perlegant omnes. Boleslai, ob animum periculorum contemptorem, audacis cognomen, inter heroas Sarmatię, promeriti, heic iacent ossa. Qui adolescentulus adhuc, singulari industria, liberalitate, animi magnitudine, laudisque & gloriæ studio præditus, ad res maximas gerendas factus, & regno dignissimus videbatur. Qui sceptris paternis potitus, tanquam ad Asylum, accurrentes ad se, è Bohemia, Russia, & Hungaria exules, quemque suo principatui restituit. Qui Guilhelmum & Bothum Henrici III. Imper. Duces: Vratislaum Bohemiæ Principem: & Georgium Volhyniæ Ducem: captos in triumphum duxit. Qui almam amplamque illam vrbem Kiouiam, quondam

dam Ruthenici Imperij ſedem, tributariam Polonis in hodiernum vſque, fecit. Partiſque tot maximis victorijs, per vniuerſum ſeptentrionē glorioſus fuit.

Sed ô luctuoſam & formidandam rerum inconſtantiam: ſub ipſum pene iucundiſſimæ nauigationis curſum, in blandos ſyrenum ſcopulos impegit, & luctuoſiſſimum naufragium fecit infelix.

Hic etenim ex nimia felicitate, inſania abreptus, ſanctum monitorem, Stanislaum Præſulem, ſua manu occidit ad altaria: exque optimo illo rege, quem natura omnibus ornatum rebus excellere voluerat, factus ſubito immaniſſimus tyrannus.

Hic eſt, cuius zelus in Roxolanos crudelis: furor in Sacerdotes acrilegus: Barbara & inſolens feritas in nobiles Polonorum matronas. Quique ob nefaria atque atrocia ſcelera, cunctis exoſus, regno demum, & communione Chriſtianorum excidit.

Donec reſpiciente Domino, ſe ipſe reſpexit, ſimulque qui ceciderat ſurrexit. Et qui perierat, inuentus eſt. Omnem enim illam inſaniam execratus

cratus, in optatum pœnitentiæ ſinum (in Monaſterio oſſa, culinæ miniſterijs deditus) confugit: aqua, vt par erat exceptus, & virga virorum caſtigatus, ſpei æternæ vitæ reſtitutus eſt. Regnauit annos XXII. & exinde Regem Polonia habere deſijt.

Vale viator, & dic Regibus, vt Boleslai recordentur.

VLADISLAVS HERMANVS. VIII.

LIceat, ob virtutem & ingenium egregiè firmum ſtabileque & præcellens, Boleslao Audaci ſubiungere fratrem eius germanum, Vladislaum, Hermanum cognominatum, Cazimiri Monachi filium: Virum integra ætate florentem, & quem ad extendendam famam, excitabant mirum in modum, tot Boleslaorum illuſtre & verè Martium nomen, antiqua maiorum decora, & recens vel infelicis fratris exemplum, ſub quo varijs vtriuſque fortunæ documentis, probè obſeruatam & exercitam militarium operum diſciplinam hauſiſſet. Ergo ſtatim initio principatus ſui, commotam nonnihil Poloniam, poſt expulſum fratrem, ob necem D. Stanislai, magna dexteritate pacauit, latrocinijſque purgauit. Et mox ad compeſcendos Pomeranos, qui vnà cum Pruſſis, Caſſubijs atque Roxolanis, eiectis ſub tempus interregni Polonorum præſidijs, ſeſe in libertatem vindicârant, cum infeſtis copijs progreſſus, triennali bello eos fatigauit: & aliquot demum prælijs fractos, imperata facere coëgit. Eadem proſperitate perdomuit & Boruſſiæ feroces populos: ſecutumque ſtatim Boemicum bellum: quod vt temerè excitatum, ita citò, neque graui admodum exitu conſopitum fuit. Prædislaus etenim Dux Bohemorum, immemor neceſſitudinum, quæ ipſi cum Vladislao intercedebant, videns eum Pomeranico & Pruſſico bello implicatum, Poloniæ fines cupiditate prædæ cum exercitu inuaſerat, omnemque eam oram, quæ ab Albi fluuio, vſque ad

Oderam amnem extenditur, copiosam diuturna pace & abundantem, incendijs & populatione diuexauerat. Hãc iniuriam vlturus Vladislaus, quia ipse aduersa valetudine prohibebatur, Secechum Palatinũ Cracouiensem, præstantem in re militari virum, cum filio nouennali Boleslao, primo vere præmiserat: qui vastata igni ferroque, ditionis Bohemicæ Morauia, profligatisque aliquot secundis prælijs, hostium copijs, quæ sese nostris opposuerant, reduxerat exercitum incolumem in Poloniam & præda onustum. Nec multò post & Cassubios, qui arcem Medireciam interceperant, ex ea latrocinia in subiectas oras exercens, per eundem Secechum coercuerat, arce illa munitissima fortiter expugnata. Similiter & Pomeranos: quos cum Sbigneo filio naturali, contra se insurgentes, graui clade ad Crusuiciam afflixerat, ipse inter confertissimos hostes, non Ducis tantùm, sed & militis fortissimi suis exempla præbens, licet non satis firma valetudine esset: filiumque captum in eo prælio, diu in carcere habuit. Iterumque eos excutientes iugum, fœdissimis cladibus affecit, per filium Boleslaum, quietosque esse adegit. Pari modo & Russiæ populos, Ducibus, Volodimiro Nouogrodensium: Dauide Olecho Pereaslauensium: Volodoro Præmisliensiũ, Satrapis: & Jaroslao Iaropelci filio, Poloniæ fines, cum valido exercitu inuadentes: qui longè maiore, quam pro numero nostrorum strage fusi, temeritatis & perfidiæ suæ pœnas dedere. Anno à Christo nato millesimo centesimo & secundo. Quo anno etiam Vladislaus ipse morbo & angore, ob discordiam filiorum cum Sececho, viro de se bene merito, confectus, obijt pridie Nonas Iunij, cum viginti regnasset annos, vixisset propemodum quinquaginta nouem. Et quamuis solenni pompa à filijs, & magna procerum atque nobilitatis frequentia fuerit sepulchro conditus, in Basilica Plocensi: nihilominus & nos quoque, eius Cenotaphium, hoc breui epitaphio condecoremus.

Euge viator. Quiescit sub hoc marmore, Vladislaus Hermanus, Polonorum fama, & belli gloria inclytus Princeps. Qui profligatis Bohemis, coercitisque rebellibus subditis, Russis, Prussis, Pomeranis, & Cassubijs, tot victorijs felix & gloriosus, metuens ne rebus præclare

clare gestis, sui oblitus, supra humana extolleretur, vt frater Boleslaus, Diui Stanislai interfector, viuens sibi sepulchrum, in Basilica Plocensi, confecit. Quod sæpius perlustrans, sæculi huius pompam & gloriam, nihil præter vanitatem, nugas, & tabulas esse putauit: atque propterea tota vita, in cultu & vestitu, modestissimus fuit: subque extremum ętatis, incitantibus nonnullis proceribus, indigne à filijs exagitatus, cuncta aduersæ fortunæ iacula, tam fortiter excepit, quam feliciter auertit. & cum alias semper firmo pectore, tum in morte quoque fuit. Et Anno Christi. MCII. in patriam æternæ gloriæ euolauit. cum regnasset annos. XX. vixisset. LVIIII.

SECIECHVS. IX.

VLadislao Hermano Principi, Seciechus ex antiquissima, & etiamnum florẽte Toporum familia, magno vsui fuit, parua quidem statura, sed ingenti spiritu à natura præditus; imò supra æquum ambitioso, auidissimoque dominatus. Nec in parua statura illa, supra ingentis animi vigorem, expetita magnis ducibus æquitandi & iaculandi peritia deerat, qua vires in hoste ad impetum validiores, mirè contemneret & eluderet, exercitusque varijs bellis sub Miecislao secundo, & Cazimiro Monacho, Regibus Poloniæ, omnium Sarmatiæ hostium, & vicinorum, artes pugnandi, & mores optimè callebat; atque hac animi virtute, inter proceres patriæ, principem locum tenebat. Et statim

ab initio æquè grauis & fortis Senator, propter bellicarum rerum peritiã, acre & constans grauissimis in rebus iudicium, cum singulari vigilantia coniunctum, facilè promeruit, vt à Vladislao, summus militiæ præfectus crearetur: & tum maximè, quum aduersus Bohemum abrupta vetere pace foret dimicandum. Itaque Boleslao Criuousto nouennali custos admotus, in hostem cum exercitu iuit, oppositam sibi aciem aliquoties fudit & fugauit, vniuersaque Morauia ditionis Bohemicæ peruastata, victor ad Principem suum redijt. Iterumque contra Cassubios missus Mediriciam arcem munitissimam, ab eis possessam expugnauit, & prouinciam omnem latrocinijs purgauit. Idem sæpiùs & de Prussis & de Pomeranis trophæa retulit: atque ex eo paulò elatior, dum reliquos contemnit, fit cunctis exosus, & ad Principatum aspirare insimulatur. Facillimè etenim ad res iniustas impellitur, inquit Cicero Offic. 1. vt quisque est altissimo animo, gloriæque cupido: nam & magnanimitatis debet esse certa quædam mensura, quæ si vltra modum se extollat, faciet virum minacem, inflatum, turgidum, & inquietum, momentisque omnibus supercilia erigentem. Quapropter exagitatus à filijs Vladislai Principis, Sbigneo videlicet & Boleslao, qui eum armis persequebantur, perijsset, nisi fauore ipsius Vladislai, etiam contra filios insurgentis, seruatus fuisset. Relegatusque ab aula, promiscuæ famæ materiam de se ingenijs præbuit, moribus suis impensè laudandis aut peracerbè lacerandis; vtpotè qui modò temperatis atque illustribus togæ & sagi consilijs, modò turbulentis actionibus claresceret, arcemque suam Secechouiam cum amplissimis possessionibus, in qua à iuuenibus Principibus obsidebatur, liberatus interuentu ipsius Vladislai, donârit Sodalibus Benedictinis in Abbatiam, vbi & sepeliri ipse voluit. Breui enim post ex angore animi, leui tentatus morbo, dum in exilium ire pararet, apud penates suos, non planè senex extinctus, fato concessit. Atque sic in eleganti certè homine, Fortuna memorabile exemplum edidit, quæ vti leuis & insolens est, vt se humanarum rerum dominam ostendat, sæpè conuertitur, & arrogantiam nostram petulantissimè castigat. Sed nos viri bellicosissimi Manes, ob excelsas eius virtutes tali epitaphio cohonestemus.

Viator. Tametsi properas, hoc te saxum rogat, vt se adspicias: deinde quod scriptum est legas. Heic sunt Seciechi Toporicij sita ossa. Qui bellica laude, & Principum, & ciuium omnium oculos

oculos in se conuerterat: animos verò nimia arrogantia alienauerat. Virtutibus, summum in Senatu locum adeptus fuerat: contra ambitione, & honorum & vitæ periculum adierat, vicijs & probitate eminebat. Et nisi in extrema vitæ periodo, nihil esse, cur vel opulentissimi superbiant, animaduertisset: pœnitentiaque ductus, insigne pietatis suæ exemplum, adscripto Ecclesiæ patrimonio suo, declarasset: ambiguam sane, famosi nominis sui laudem, posteris reliquisset.

Hoc volebam nescius ne esses.

GOVORICIVS. X.

FOrtunæ inconstantis non mediocre exemplum & Gouoricius Palatinus Sendomiriensis erit, optimus me herclè Senator, & Dux militiæ egregius: Inerat enim ei præcipuum naturæ donum, proceri corporis & grauissimi oris eximia dignitas, quam excellens bellica virtus, constans sui principis reuerentia, incorruptique mores adornabant. Siquidem Lesco Albo Poloniæ Principi custos & moderator pueritiæ datus, ita eum Rempub. gubernare docebat, vt nobilitatem in honore habere, populum alere, & patriam tranquillitate atque opibus florentissimam reddere contenderet. Ipse autem sub Cazimiro Principe bellis varijs exercitus, etiam tum Legionibus præfuit, cum Halicienses rebelles Palatinus Cracouiensis æmulus suus armis perdomuisset, & Ducem eis Romanum imposuisset, puerum Lescum secum habens. Qui cum matre Helena pulsus principatu, cum Sendomiriensem tantummodò ducatum possideret, præcipuum rerum suarum administrum Gouoricium habuit; cumque illo Russos sæpiùs

 ditio-

ditiones ſuas infeſtantes, bello fœlici vicit: maximè verò ad Zauichoſtem, vbi eos clade ingenti affecit, & Ducem ipſum opera Gouoricij occidit: cum quibus erant & Polouucij, inuictum & formidabile hominum genus, hamatis atque mortiferis inſtructum telis. Verum Gouoricius, vel parua manu, tot barbarorum robora, per moras & aſtas mirè ludificatus, ita perfregit, vt inuſitato aciei forma circumuentos, cadente ipſo Romano eorum Duce, ad vnum ferè omnes trucidaret His itaque artibus, collecta Principis gratia, auctis opibus, & inſigni gloria florentem, quem immenſæ Ruſſorum vires, & formidanda Poluuciorum arma non fregerant, oborta inuidia, humanæ felicitatis commune malum, eò perduxerant, vt omnibus his vltrò ſeſe ſpoliaret, vel ſolius Principis amore. Cum enim Miecislaus patruus, Leſcum nepotem, iterato etiam, principatu exueret, & omnes Poloniæ proceres, exitiali inſania inter ſe, peruicacibuſque armis diſſiderent: Gouoricius fidem quam ſemel Leſco ſpoponderat, inuiolatam ſemper retinere capiens, ſemper conatibus maleuolorum, ac præcipuè mutabilitati Palatini Cracouienſis contrarium ſeſe opponebat. Ac tandem Miecislao fatis ſublato, cum omnes in Leſcum Principem votis ſuis irent, ſed vt Gouoricium à ſe relegaret, hanc ei legem præſcriberent, Leſcus ne tantum virum perderet, vtpotè qui in omni obeundo munere mirificæ virtutis vim ad bellum afferret, principatum etiam renuit: Sed Gouoricius tantæ eius fœlicitati ſua perſona incommodare volens, Atqui ego, inquit, princeps etiam vitam meam pro tua dignitate fundere paratus ſum, quam toties in bellis periculis obieci? cur igitur diſcedere à te, & in exilium ire non debeam? faciam libentiſſimè, & cum tuis conatibus fortuna aſpirauerit, habebis memoriam meritorum meorum. Et his dictis in Vngariam recta abijt, & tamdiu ibi manſit, donec Leſcus rerum potitus, cuncta ſub imperium acciperet, & Palatino Cracouienſi è viuis fatis ſublato, reliqui ſatis inuidiæ litatum putarent, quod à Ruſſis expetitus, varia fortuna iactatus fuiſſet. Redijt ad penates & apud Principem ſtatim in priſtino loco fuit, quod nemo ei ſobrij conſtantiſque iudicij grauitate, aut perpetuo armorum vſu, caſtrenſiumque rerum notitia, tuendæ Poloniæ, & proferendo imperio Dux potior atque præſtantior exoptari poſſit. Cuius nos tumulum, virtutis ergò, tali Cenotaphio exornemus.

Hoſpes, mirare ſepulti fidem, vel conſtantiam, vel fortitudinem. Gouoricius Sendomirienſis

rienſis Palatinus, Leſci Albi conſiliarius hic fuit. Qui vt Principi ſuo gloriam pararet, ſæpius cum Ruſſis acerrime dimicans, etiam militis officio functus eſt. Vt ei obſequia ſua probaret, vltro in exilium iuit, ne ad principatum adipiſcendum impedimento eſſet. vtque cunctis candorem ſuum monſtraret, nuſquam maleuolorum muneribus corrumpi potuit, quin ſuum principem, cui tota vita addictus fuit, & partes bonorum deſereret. O magnum itaque & conſtantem Senatorem! & cum quo probitas Hercle & Sarmaticus candor, hic ſepulta; iacent.

SCARBIMIRVS. XI.

NEc prætereundus ſanè Scarbimirus eſt toties de barbaris bello victor & triumphator: quandoquidem ſingulas cogitationes, & ſingula propè exercitamenta corporis ad bellicas rationes reuocaret, & nihil omnino molle aut remiſſum complecteretur, vel ipſa naturæ conſuetudine, vel neceſſitate tot incumbentium bellorum, quæ omnem inertiam, vel deſidioſis excuterent, & virum vti oportuit, cum ſalutis, tum dignitatis ſuæ memorem excitare, & ad inſitam virtutem factis extendendam incitare poſſe viderentur. Ergo aduerſus barbaros Pomeranos, Boleſlao Crinouſto Principi operam nauas, & fortis militis, & periti Ducis laudem decoraque ſpectatæ virtutis ornamenta conſecutus, proprijs etiam auſpicijs exercitus ductabat, & ditiones barbarorum ingreſſus, quæque munitiſſima eorum oppida expugnauit, Prouinciam totam deuaſtauit, & profligatis quæ ſeſe opponebant copijs, imperata facere adegit,

adegit. Quumque Henricus V. Imp. ad Vratislauiam cum numerosiſſimo exercitu profligatus eſſet, ſingularem eius victoriæ laudem Scarbimirus tulit. Et Bohemis latè ſummotis, pulſiſque tota Sillefia, etiam Caſſubios rebellantes armis perdomuit atque pacauit. Sed & in alijs expeditionibus toties cum Boleslao prælio interfuit, maximè tamen quum è conuiuio venatum prodiens in Pomeranorum tria millia, cum centum equitibus modò, Boleslaus inopinatò incidiſſet, cum quibus per aliquot horas fortiter dimicando, victores miraculosè receſſerunt; quamuis amiſſis ſeptuaginta de ſuis. & Scarbimirus ipſe multis acceptis vulneribus, etiam oculum perdidiſſet. Quem nemo procerum, vel excelſæ ſtaturæ proceritate, vel habilium ad arma artuum firmitate, vel impauidi & ſemper conſtantis animi vigore adæquabat. His duobus igitur Principi carus, militaribus copijs quoad vixit cum honore præfuit: ſed & togæ artibus illuſtris fuit. Nemo enim eo peracuti atque habilis ingenij vim ſolertius ad conſilium flexit, nemo grauiſſimarum rerum negotia certiùs explicauit, nemo denique vtriuſque fortunæ impetum conſtantiùs atque feliciùs ſuſtinuit & auertit. Quapropter tanti viri Maues, vel hoc ſepulchrali elogio decorandos eſſe duximus.

Siſte hoſpes, Scarbimirus inclytæ virtutis Dux, regnante Boleslao Criuouſto, bellicoſiſſimo Principe, cunctis ob probitatem, fidem, & conſtātiam carus, hac humo quieſcit. Hic dum Caſſubios, Pomeranos, Bohemos, Germanoſque aciebus pellere & patriam triumphis illuſtrem reddere vellet, amiſſo in pugna oculo, lucem ipſe haud probe videre quiuit. Dumq; primus in aciem prodire, & dira martis munera obire ſoleret, vulneribus debilitatus, citius iuſto, ſenium ſibi & fata accerſiuit. Exantlatiſque tot pro gloria gentis Polonæ laboribus diem

no-

nouiſſimum operiturus hoc ſe tumulo condidit.

ZISLAVS. XII.

INter reliquos complures, qui Boleslai Criuouſti temporibus, inſigni bellicæ laudis præconio floruerunt, non poſtremè dignationis & Zislaus eques nobiliſsimus fuit. Hic cum & alacribus oculis dignam imperio faciem præferret, & inter Polonos, quod maximè decorum eſt, equitandi & ſagittandi peritiſſimus haberetur, Boleslaus Princeps alijs bellis ipſe diſtentus, eum contra Bohemos, Silleſiam populantes, cum exercitu miſit, vtque hoſtem fugaret, aut ſi viribus impar eſſet, ſaltim populationibus prohiberet iuſſit. Is vt animo ingenti & magna vi corporis fuit, excellentiſque induſtriæ in omni exercitatione equeſtris diſciplinæ, hoſtem qui non adeò equitatu valebat, multis in locis prædantem nactus, facillimè acie pepulit. Ipſumque Suatopelcum Morauorum Ducem ad Grezam oppidum, ſtrage memorabili edita ſuperauit, & cum præda ingenti, captiuiſque compluribus ad victor Boleslaum redijt; quamuis in eo prælio dextram ipſe amiſerit. Igitur Boleslaus collaudatum manu aurea donauit, quæ inter tot maiorum eius, illiuſque ipſius trophæa relata, nobilior certè cunctis ſpolijs fuit, quæ de victis captiſque hoſtibus penates eius exornabant. Sed & nos hoc breui epitaphio tumulum eius ob virtutem exornemus.

Zislaus Illuſtre Sarmaticæ virtutis decus, viator hic conditus eſt. qui vt victoriam Boleslao Principi, de Morauis atque Bohemis pararet, acerrime dimicans, dextram in prælio amiſit. dumque ab eo collaudatus in corona militari, manum auream, præmium egregiæ fortitudinis retuliſſet, etiam immortalitatis gloriam apud poſteros eſt conſecutus. Præter hanc enim

ſolam,

ſolam, heroicaſque virtutes, tota in vita nullius rei appetens fuit. Vale & viue memor lethi.

XIII. *BOLESLAVS CRISPVS.*

PLena eſt, inquit Boëtius, exemplorum vetuſtas, plena etiam præſens ætas, qui Reges felicitatem calamitate mutarint: ſed & in Boleslai Criuouſti filijs, manifeſtè id videre licet; quorum ſecundo genitus Boleslaus, cognomento Criſpus, profligato ad Poſnaniam fratre maiore natu Vladislao, tota eum Sarmatia, cum vxore & liberis eiecit. Cuius aulici etiam & ſerui, immiſericorditer ſeſe geſſerunt, erga ciues natos ad humanitatis cultum, & mitioribus imperijs aſſuetos. Alioqui Polonis nulla gens vnquam maiori obſeruantia coluit ſuos Principes, quamdiu clementiæ & manſuetudinis artificio clauum imperij temperauerunt. Concordi itaque reliquorum fratrum, ac nobilitatis ſententia, principatum Criſpus ipſe inuaſit, & patris iam ſui, non autem fratris expulſi exemplo, clementer moderateque regnauit. Aſt Vladislaus exul, quamuis ad inopiam redactus, fratres nihilominus turbare, & Bohemorum, Ruthenorum ac Germanorum auxilia procurare, nuſquam deſiſtebat. Et primò Conradum Cæſarem eò precibus induxerat, vt cum validis copijs in Poloniā moueret, ab Aſiatica expeditione reuerſus: quem nihiloſecius Boleslai prudentia, præter omnium ſpem & opinionem auerterat, interque ipſa initia, tam ingens ac formidabile bellum reſtinxerat, vt necquicquā reclamante Vladislao exule, & item Bohemorum principe, Cæſar acceptis muneribus, ad componendas res domeſticas rediret. Namque Boleslaus iuſto prælio decertare cum illo non auſus, itinera tantum aſſiduò, pabulationes, & aquationes ex inſidijs obſeruare, & in incautos hoſtes impetum facere, interdumque totum exercitum reficientē ſe, aut quieſcentem, ſubito tumultu exagitare & perterrefacere tota æſtate non deſiſtebat. Illis vero ad arma conclamantibus, ad impedita loca raptim ſe cum ſuis recipiebat: ſed maximè, cum ad Oderā Cæſar caſtrametatus eſſet, traiectionem illi in vlteriorem ripam non permittebat. Fame itaque ac morbis enecatum penè exercitum ſuum videns, pace cum Boleslao (qui ad Cæſarē ipſe in caſtra, fide accepta iuerat) æquis conditionibus firmata, bellum illud ſtatim diſſoluit. Itaq; Vladislaus exul, ſpe ſua fruſtratus, toto ſeptennio quieuit; donec Fridericus Barbaroſſa, qui Con-

Conrado patruo in imperio ſucceſſerat, pacata Italia in Germaniam reuerteretur, qui aſſidua flagitatione, & querimonia Vladislai commotus, de ampliſſima Senatus Germanici ſententia, exulem reducendum putaret, indignū maieſtate ſua iudicans, poſtulata & minas ſuas contemni à Polonis principibus: qui, quiduis potius ſe paſſuros Imperatori reſponderunt, quàm vt tam immanem ac turbulentum fratrem recipere vellent. Nullam enim eſſe ſpem fidæ reconciliationis cum illo, quem tam implacabiliter offenderant, putarunt. Quippe natura inſitum eſt humanis ingenijs, odiſſe quem læſeris. Nec facile vnquam perſuadebitur ijs, quem ſemel iugum excuſſerunt, memoriam talium offenſarum bona fide deleri poſſe: manēt hæc repoſita ſub alto pectore, nec magnates vnquam iniuriarum obliuiſcūtur, quamuis itam ad tempus taciti concoquant, ne profeſſi odia perdāt vindictæ occaſionem. Itaque anno à Chriſto nato 1158. Fridericus Imp. cū maximis Germanorum atque Bohemorum copijs Poloniam ingreſſus, ad Oderam amnem Vndecimo Kal. Septemb. caſtrametatus eſt. Cui, itidem non auſus Boleslaus aperte ſe opponere, partim in pabulatores ex inſidijs vim faciebat, partim oppida & villas ſuas, graminaque omnia & commeatum comburebat, ne quid in vſum hoſtium venire poſſet, aut Imperator veſtigium ponere firmo aliquo & munito loco quiret. Igitur in magna difficultate Germanus miles poſitus, non muſſitare tantùm, ſed apertis conuicijs & maledictis Imperatorem inceſſere cœpit, quod inauſpicatum bellum ob rem alienam ſuſcepiſſet, neglexiſſet verò propria: cum Italia diſceſſu eius ad hoc bellum audito, tota penè rebellaſſet. Quibus rebus permotus Fridericus, pacem his conditionibus cum Boleslao in caſtris pepigit, vt eius ſororem Aldeidam, Miecislaus Boleslai frater, in vxorē acciperet: vt Vladislao exuli fratres reliqui Sileſiæ dominatum concederent: & vt Boleslaus trecētos haſtatos, Friderico in auxilium, ad bellum Mediolanenſe mitteret. Pace ſic cum Imperatore firmata, Pruſſis deinde bellum Boleslaus intulit; qui, iā inde à Boleslai Criuouſti morte, à fide Principum Polonorum, vnà & à religione Chriſtiana deſciuerant: tranſductoq; Oſſam amnē exercitu, tripartito agmine ad interiora ipſorū penetrauit, ferro & incendijs omnia miſcens, & magnas prædas agēs. Quare Pruſſi, impares tanto bello ſuſtinēdo, imperata ſe facturos ſupplices pollicentur, & ſimulachra falſorum Deorū extemplò demoliuntur. Verùm Boleslao in Poloniā reuerſo, atq; metu amoto, citò ad genium redière. Neque enim firmam atque ſtabilem ſedem habere poteſt religio, vi & metu expreſſa: quæ, quamlibet foris neceſſitati ſeruiat, intus nihilominùs in animo liberrima eſt. Quapropter anno ſequenti, qui fuit poſt Chriſtum natum 1167. Boleslaus maiore vi

& appa-

&apparatu,expeditionem in eos fecit:aſt omine parum felici:ſiquidem in inſidias ab illis tractus & profligatus, fratrem etiam Henricum in ea pugna amiſit. Nec ab eo tempore iam quicquam dignum memoratu fecit, ſed vt olim pater Criuouſtus poſt cladem illam Halicienſem, mœrore animi contabeſcens, vitam cum morte ex angore commutauit. Non facile enim generoſus animus, ignominiam ſufferre poteſt, qui continua vſus proſperitate, putat eam ſibi à fortuna deberi; quæ aſſiduo ſuo rotatu, cuncta ita permiſcet, vt nihil firmum in ſuo loco permaneat. Quid enim eſt, inquit Seneca, quod non fortuna, cùm voluit, cum florentiſſimo detrahat, quod non eo magis aggrediatur & quatiat, quò ſpecioſius fulget? Quid illi arduum, quidve difficile eſt.

——————— nam rotat omnia
Fortuna: præcipites dat, & rurſum erigit
Iuxta potentes atque miſeros. *Sophoc. in Antigo.*

Sed illi verè ſapientes ſunt, qui res ſecundas in ambiguo ponunt, & aduerſas ijdem moderatius ferre poſſunt. Cæterùm de rebus ab illo fortiter & egregiè geſtis hactenus, nunc quod reliquum eſt, ſepulchrum eius epitaphio, pro modulo noſtro cohoneſtemus.

Quæris viator, quis hoc ſub marmore tectus iaceat? Homo vt tu mortalis, Boleslaus Poloniæ Princeps, chriſpus olim dictus. qui Vladislao fratre maiore natu, ob impotẽtem Dominatum Sarmatia eiecto, ita clauum Imperij ipſe moderatus eſt, vt inter Heroas Summos, qui rei Polonæ columina fuere, haud poſtremum locum ſortiatur. Non enim aliud quidquam tota vita ſua geſſit, niſi quod ad patriæ decus, ad temporum gloriam, ad poſterorum vtilitatem ſpectaret. Et proinde diſcordes ciuium animos inprimis inter ſe reconciliauit, fœdera cum vicinis principibus amicitijs firmauit, vectigalia remiſit, multaſque iniuſtitias, quæ eorum gratia toto regno committebantur, penitus ſuſtulit, & præcidit. nutantemque rempub. prudentibus conſilijs ſtabiliuit. Denique repulſis à finibus Poloniæ, duobus illis glorioſiſſimis Romanorum Imperatoribus, Conrado V. & Friderico Ænobarbo, cunctos per circuitum populos, ingenti ſui nominis terrore compleuit. & ni eum fortuna, vltimo cum Pruſſis prælio, anteparta belli gloria ſpoliauiſſet, par profecto omnibus Boleslais, atque Patri ipſi Criuouſto, rebus præclarè geſtis, fuiſſet. Interceptus autem mortalitate eſt. Anno reparatæ ſalutis. MCLXXIII. cum principatum Poloniæ annos XXVII. tenuiſſet. Vixiſſet ſex & quadraginta.

BOLESLAVS ALTVS. XIV.

PRudenter ſanè ille dixit, qui gloriam dixit ſtimulum eſſe & calcar, quo ſublimes animæ concitantur ad ſtudium rerum honeſtarum: formidinem verò infamiæ frænum, quo reuocantur à praue factis. Quod ipſum etiam in Boleslao Alto aperte videmus: Qui Vladislai patris ignominia permotus, quòd ob impotentem Dominatum, Poloniæ principatu eiectus, vitam inopem in exilio ingloriamq; duxiſſet: Et Boleslai Criuouſti aui, bellicoſiſſimi Principis trophæis excitatus, quod ſepties & quadrageſies de hoſtibus profligatis triumphaſſet: ita ſe ſtrenuum in aula Conradi

V. Cæsaris, & Friderici Aenobarbi Imperatoris gessit, vt maximo in honore apud omnes esset. Reuocatusq; post obitum patris ab exilio, fauore Boleslai Crispi patrui sui, acceptum Ducatum Vratislauiensem, tanta animi moderatione, iustitia, humanitate, tantoq; exactæ disciplinæ ordine, cum domi, tũ militię exercuit, vt gratia, authoritate, clientelis & apparatu armorũ pollẽs, suo prorsus nomine, & maiore imperio dignus haberetur: vtpote qui admirabili iudicio clementiam & seueritatem procul, ab inuidia atque odio commiscere, sine fuco pietatem colere, comitatem siue dedecore, sine fastu dignitatem tueri consuesset. Cum verò in Pomeranos, lacessitus ab eis, exercitum duxisset, cuncta eorũ oppida, cunctas prouincias magna celeritate, non tam cursibus suis, quàm victorijs peragrauit. Et dum in castris Friderici Imperatoris, contra Mediolanenses militaret, præclarum virtutis suæ specimen, tum maximè edidit, cum ex prouocatione pugnans, equitem quendam vasto corpore, & gigantea statura ex castris Mediolanensibus interfecisset, applaudente vniuerso exercitu, & Boleslai virtutem ad sydera efferente. Obequitabat siquidem gigas ille Cæsarianos identidem contumeliosis verbis, ad singulare certamen prouocans, nec prodire quisquam contra eum audebat, præter Boleslaum nostrum, qui non ferens ignominiam vniuersi exercitus, concurrit hasta cum eo, ad spectaculum vtroque exercitu effuso, & humi prostratum de equo desiliens confecit, victorque in castra reuersus est. Sed & contra Prussos, cum Boleslao Crispo, contraq; Vngaros cũ Cazimiro, patruis, ad bellum progressus, ingentia fortitudinis suæ præbuit specimina. Et amissis intra breue spacium temporis, quatuor filijs, solum Henricum Barbatum hæredem reliquit. Nunc quod reliquum est, sepulchrum eius pro meritis, breui epitaphio cohonestemus.

Hic tumulatur magnificentis. funeratus Boleslaus cognomine Altus, Dux Vratislauiensis. eiecti Principis Poloniæ Vladislai F. Diui Criuousti nepos. qui ob patris, culpam diuturnum in Germania exiliũ perpessus, in summa commutatione fortunæ, summam animi æquitatẽ: in summa integritate vitæ, placidiss. mores: in summa armorum laude, parẽ modestiam perpetuo retinuit, & vere heroicis virtutibus, apud posteros sibi gloriam, gloria vero immortalitatem comparauit. Hoc etiam ipso patre felicior, quod sibi contigerit apud lares fato suo defungi. Durum enim est, extra patriam mori.

CAZIMIRVS IVSTVS. XV.

Boleslaus Criuoustus, pace & bello inclytus Princeps, cum filios quinq; haberet, morti vicinus totum imperium in quatuor partes diuisit, Cazimiro qui natu vltimus erat, nihil relinquens, sed vt ab omnibus reliquis sustentaretur, seuerè præcipiens. Igitur diu exors in tutela fratris Boleslai Crispi manens, tandem districtum Sendomiriensem, post decessum Henrici fratris, in bello Prutenico occisi, accepit, & in eo, ita se comiter & moderatè gessit, vt iusti cognomen meritò sit adeptus. Insurgentibus etenim contra Boleslaum fratrem subditis, & illi summum principatum deferentibus, negauit suum esse fratri maiori & optimè de se merito principatum eripere, quem omni ope defensum & adiutum ire deberet, quem ipsi quoque vel propter Patris Boleslai Criuousti, optimi & maximi principis memoriam tolerare tenerentur; qui tamen & æquitate animi, & moderatione imperij satis ipse promeruit, ne expelleretur quasi vetulus canis, sub vitæ decursum. Idem, cum aulico suo Ioanne Conario, alea tempus fallens, quum in profundam noctem ludum produxisset, & vno ictu summam totam lucratus esset, à Conario irato fortunæ suæ pugno percussus, minimè excãduit, & pœnam capitis commeruisse cunctis clamantibus, veniam extẽplò dedit: se, inquiens, magis in culpa esse, q conditionis suæ ac dignitatis oblitus, cũ ad ludendum prouocasset: gratias itaq; ipsi agere, quod se ictu illo admonuisset, ne quid postea indignũ principe admitteret. Sub cura itaq; fratris Boleslai existens, omnibus prælijs signa illius secutus interfuit: & Miecislao fratre, qui Boleslao Crispo, successerat, principatu deiecto, ob asperũ & impotentẽ dominatũ, cũ magna omniũ lætitia seruator & liberator à populo salutatus fuit. Compositaque domi pace, Pomerianæ Duces inpri-

inprimis,qui ad Imperium Germanorum desciuerant,in suam clientelam recepit. Deinde Brestensem, Drohicinensem, Vlodimiriensem, atque Præmisliensem oram omnem, quæ non parua est pars Russiæ, in suam potestatem redegit. Inde porrò ad Haliciam exercitum duxit,&multis hostium millibus in acie cæsis, vrbem ipsam deditione accepit: atque sic in loco eodem, vbi pater dolo ac proditione victus fuerat, Manibus occisorum Polonorum, hostium sanguine parentauit. Qui, quum resumptis viribus, in potestatem Belæ Regis Vngariæ sese vltrò dedissent, Mescislaumque Ducem, quem eis Cazimirus præfecerat, veneno sustulissent, iterum obsidione cinctos perdomuit, Andreamque Belæ Regis filium, sese cum suis, ob rerum penuriam dedentē, saluum cum rebus omnibus dimisit. Quam contumeliam Bela Rex non ferens, oppidò bellum Polonis indixit; & tandem assiduis incursionibus nostrorum exagitatus, Clementis Papæ opera, inducias in tempus pepigit, qui tunc omnes Christianos Principes, ad recuperandam Hierosolymam concitabat. Et sic dum ille in Russia, rebus componendis immoratur, proceres nonnulli turbulenti, facta conspiratione, Miecislaum ad recipiendum amissum principatum accersiuerunt: & quo magis studia populi in eum inclinarent, finxerunt Cazimirum à Russis veneno extinctum esse. Qua de re Cazimirus certior factus, celeriter cum copijs Cracouiam aduolauit, & vel expugnauit præsidia Miecislai, vel per deditionem accepit; fratrisque filio, cum plerisque aduersæ partis militibus intercepto, non modò vitam & libertatem abeundi concessit, verùm etiam ampla munera largitus est. Qua equidem indulgentia, ita sibi omnium, ac inprimis Miecislai fratris animum deuinxit, vt nusquam deinceps de repetendo principatu cogitarit. Pacatis itaque domi rebus Cazimirus, Prussis quoque bellum grauissimum intulit, vt cladem sub Boleslao Crispo acceptam, Henrici etiam fratris mortem vlcisceretur; & gentem barbaram toties rebellem & Christum abnegantem perdomaret. Quod & effecit. nam Prussi clade ingenti afflicti, datis obsidibus, persolutisque superiorum annorum tributis, imperata omnia in posterum se facturos, sanctè promiserunt. Quare deducto è Prussia exercitu Cazimirus, bellisq; omnibus armis & prudentia extinctis: pacis quoque artibus, hoc est munitionibus instaurandis, moribusque & legibus ciuium emendandis, reliquum ætatis tempus transmittere cogitabat. Et iam magnam sibi virtutis & sapientiæ opinionem, apud exteros iuxta, atque suos conciliauerat, ita, vt felix & admirabilis, & omnibus suis charus deinceps regnaturus esse videretur; cum subitus eum casus humi prostrauit. Aduenerat fortè dies martyris Floriani memoriæ sacra (cuius ille reliquias à Lucio eius nomi-

nis Tertio Pont. Max. impetrauerat) qua post peractam rem diuinam, more solito egenos afflictosq; mensæ suæ admouerat, ac die sequenti proceres Regni grandi conuiuio exceperat: qui cum exhilarati multa de bellis & periculis præteritis inter se conferrent, ipse quoque nonnulla de immortalitate animi, atque cælitum beatitudine in medium proposuit. Deinde hausto mediocri poculo, subitò concidit, & paucis horis animam exhalauit: cum regnasset annos septemdecim propemodùm, vixisset sex & quinquaginta. Lesco & Conrado filijs relictis: sepultusque in delubro Cracouien. Æræ Christianæ anno 1194. Et de rebus ab illo fortiter & egregiè gestis hactenus, reliquum est, vt sepulchrum eius, posteris ad exemplum, Cenotaphio exornemus.

Cazimirus Criuousti F. hic quiescit, viator. Qui dũ viueret, incomparabili magnitudine animi Principem Poloniæ egit, Pietate, Iustitia, Splendore vitæ, & Clementia antiquis Heroibus comparandum. Tantaque morum temperie, ac facilitate naturæ fuit, vt non eloquio, non cultu, non ipso deniq; conuictu aut comitatu, fastum vllum ostenderet, sed modestia tantum, humanitate, & studio honestæ virtutis, supra cæteros eniteretur. Vnde & iusti cognomen meritò à ciuibus suis accepit. Iustus namque fuit, quia Boleslaum fratrem de Patria B. M. rogatus à factiosis proceribus, iniustè principatu spoliare noluit. Alterum verò Fratrem Miecislaum, illi succedentem, iustè & vltrò, ob asperum in subditos Dominatũ, eiecit. Iustus itẽ fuit. Quia ne se sanguine proprio pollueret, in crimine ipso perdu-

ellionis nepotem captum,non vita modo,ſed & muneribus ampl.donatum dimiſit. Itemq; aulicum, qui & pugno percuſſerat, alea ab ipſo victus. Deniq; iuſtus fuit, quia & Halicienſes,qui Patrem ſuum dolo circumuentum profligauerant,& Pruſſos, qui Fratrem Henricum in inſidias tractum occiderant,clade inſigni vltus, obproprium gentis Sarmaticæ abſterſit, & cæſorum tunc Polonorum manibus,ſanguine hoſtili ex ęquo parentauit. quibus per ſeptentrionem clarus, dum quietam vitam viuere putauit, Dei iuſſu ad cœlum,vbi vera captatur quies, aſcendit. Anno Chriſtiano. MCXCIV. cum regnaſſet XVII. vixiſſet LVI.

XVI. *BOLESLAVS PVDICVS.*

FOrtuna per ſe inconſtans,& ſæpè ludibunda,in attollendo premendoq; Boleslao Principe, mirabiles profectò ludos fecit, ſi in quopiam alio mortalium. Is ſiquidem ab obitu Patris Leſci Albi, puer admodum, cum Grimislaua matre relictus,Henricum Barbatum Vratislauiæ Tetrarcham, & Conradum Maſouiæ Ducem, patruos de ſummo principatu inter ſe bello funeſtiſsimo certantes vidit, & Conrado victori in prædam ceſsit, tutorem eum vel inuitus appellans. A quo deinde pubertati proximus emancipari cupiens,in Henricum,pariter cum matre, prout ſtudio ferebatur.Quod vbi non obſcuris indicijs Conradus intellexiſſet, ſubitò per ſpeciem colloquij euocatum,vna cum matre capit, atque neci deſtinat: ac deinde mutata ſententia, in Seciechouienſi Monaſterio aſſeruari iubet, ipſe bello Pruthenico occupatus, Quo dum vltra conſtitutum diſtinetur, Bo-

leslaus corruptis cuſtodibus,intempeſtæ noctis ſilentio, cum matre profugit:& Zauichoſto, Sendomiriaque potitus,in Sileſiam ad Henricum abit. Is comparato celeriter exercitu, Boleslaum eadem æſtate in Poloniam reduxit,& Cracouienſem atque Sendomirienſem oram omnem,pulſo Conradi filio Boleslao,facilè in ſuam poteſtatem redegit, ſeque iam exinde pro tutore & Principe geſsit. Vnde iterum ciuile bellum inter eos, & quidem valde funeſtum inualuerat: mortuoque Henrico Barbato, Boleslaus per ſe reſiſtere impar, ad Belam IV. Hungarorum Regem Legatos celeriter miſit,auxilia contra Conradum patruum rogans,qui non modò principatum ſed vitam etiam ipſam eripere nepoti deſtinabat: vtpote qui in omni vita proferendi imperij, quam præclari nominis auidior à pleriſque ſit exiſtimatus.Sed quum maturè auxilia Boleslao ex Vngaria adueniſſent, & Bela Rex Cunegundim filiam, puellam moribus & ſanctimonia vitæ nobilem, in vxorem ei dediſſet, amplius eum bello laceſſere Conradus auſus non eſt. Boleslausque tali coniuge beatus, primis eam nuptiarum diebus nequaquam attigit:quinimo confirmata mutuo conſenſu religione, vterque perpetuam continentiam vouit. Et hinc Boleslao Pudici cognomen inditum eſt. Cum verò Tartari ex Aſia irrumpentes,omnem Poloniam, & circumiacentes Prouincias vaſtarent, Boleslaus reſiſtere infinitæ multitudini nequiens, in Hungariam cum vxore profugerat, apud affinem Regem receptum ſe habere ſperans: ſed & ibi Tartaris cuncta igni ferroque populantibus, intra montes Sarmatiæ ſeſe abdidit, haud longe ab oppido Sandecia,ſub Carpatho monte ſita. Quo tempore,nobilitas Cracouienſis & Sendomirienſis,deteriora etiam timens, quòd ſine principe & magiſtratibus eſſet, inito conſilio, Boleslao Caluo, Henrici Pij (qui ab iiſdem Tartaris in prælio ad Leguiciam occiſus fuerat) filio natu maximo, principatum detulerant.Sed hunc Conradus, cum valido exercitu veniens,tota minori Polonia eiecit, & ſeſe per vim Principem fecit. Sed quum grauis ſubditis eſſe cœpiſſet, proceres conſilio facto Boleslaum Pudicum reuocandum eſſe ſtatuerunt,& venienti denuò fidelitatis pręſtiterunt iuramentum. Quapropter Conradus conſcripto maiore exercitu,accitisque in auxilium Præmislo Poſnanienſi,& Miecislao Opolienſi,Ducibus: itemq; Lituanis, & Iazygibus, barbaris, tractum Sendomirienſem populabundus ingreditur. Nec Boleslaus committendum ſibi exiſtimauit, quin ſua defenderet. Itaque magna celeritate quantum potuit exercitum comparauit, & ad Suchodolum pagum Conrado occurrens,quamuis viribus longè inferior eſſet,pugnandi tamen copiam fecit: & Deo iuſtiori cauſæ fauente, victor euaſit.Id dum Conradus vlciſci parat, & iterum ingenti Lituanorum exer-

citu in Sendomirienſem tractum excurrit,& eum occupat:Boleslaus deie-
ctis eius præſidijs, quamuis apud Iaroſſinum pagum , minùs proſpere con-
flixiſſet,non ita multò poſt recepit.Pacemq; à morte eius nactus, qui Anno
Christi 1247.extremum vitæ clauſit diem , collapſa & vaſtata bello inſtau-
rare,deprauataque corrigere inſtituit:magnamq; manſuetudinis & probi-
tatis laudem,etiam apud exteros adeptus eſt,ſed præcipuè bellicæ virtutis.
Nam & in Morauiam cum exercitu abiuerat ſocero, Regi Hungariæ, ſup-
petiaturus,ingentemq; inde prædam victor abegerat : & Præmislo Poſna-
nienſi Satrapæ,contra Pomeranos auxiliares copias dederat: & in Iazygos
demum cum infeſtis legionibus progreſſus,Ducem eorum Conathum oc-
cidit,gentemq; vniuerſam vno prælio ad internecionem deleuit , ita vt ex
eo tempore,nomen Iazygum, ſiue Iazuingorum penè abolitum ſit.Regio-
ne namque eorum potitus,exiguas quas reperit reliquias , Chriſtianam re-
ligionem ſuſcipere,capitali pœna in contumaces ſancita,coegit:& ne regio
vaſta & inculta maneret , colonias eo deduxit. Inſequenti deinde æſtate,
qui annus fuit 1264.Ruſſos Duce Suarnone,Sendomirienſem tractum po-
pulantes,inſigni clade profligauit:miſſoque iterum Petro Palatino Craco-
uienſi,cum non contemnendis copijs in ditionem ipſorum,ita eos cum au-
xiliaribus Tartaris vno prælio afflixit , vt permultis deinceps annis , nihil
hoſtile contra Polonos molirentur.Quam quidem victoriam , exiſtimatur
à Deo impetraſſe pientiſſimus ipſe Princeps Boleslaus , cum Cunegunda
vxore ſua,quæ & futurum belli euentum prædixerat,viſis aſſiſtere ſibi duo-
bus viris candidis,Geruaſio videlicet & Protaſio martyribus,quorum me-
moriæ dicata erat dies illa, qua pugnatum eſt. Geſſit & alia plurima bella,
partim cum Bohemis,partim cum Lithuanis,Poloniam tunc hoſtiliter in-
curſantibus,ſed iam per Legatos inſigni prudentia fortunę aleam deuitans.
Tandemq; Anno 1279.febri extinctus, Cracouiæ apud D.Franciſci, quod
monaſterium ipſe condiderat,ſepultus.Benignus & religioſus Princeps,&
in egentes cultumq; Dei ac miniſtros eius munificus: dignusque profectò
ex cumulatis toties victorijs,ſupra cunctos ætatis ſuæ Reges, præalto atque
ornatiſſimo trophæo,ſiquidem in eo fragrantiſſimum armorum ſtudium,
à puero adhuc enituit, quo in vtramque fortunam, diuerſo euentu longè
clariſſimus extitiſſe videtur. Sed & nos videbimur non parum officio no-
ſtro defuiſſe,niſi glorioſiſſimi quoque Principis ſepulchrum hoc epitaphio
decoremus.

Sancti inter Sarmatas Herois,hoc monumen-
tũ eſt , viator. Quod omnes ei certatim poſuere
virtutes

virtutes,omnia corporis, animique ornamenta.
Hic eſt ille Boleslaus , qui cũ eſſet formæ prodi-
gium,extitit nihilominus miraculum caſtitatis,
quam ieiunijs , precibus , omniq; corporis affli-
ctione ita coluit, itaq; adamauit , vna cum Cu-
negũda vxore , Sanctiſſima itidem puella,caſtiſ-
ſimaque vt cum ætate floreret , careret liberis,
cum diuitijs abundaret & Gloria,caſtus atq; in-
taminatus fulgeret : nihilque in animo , nihil in
corpore inquinatum , toto vitæ decurſu admit-
teret.Hic eſt ille incomparabilis Bellator,qui ab
infeſta fortuna variè iactatus , viuido demum
ſpiritu ſeſe ad ingentem famam, omnibus bellis
extulit.Et deuicta paſſim fortuna, proculcataq;
inuidia,perdomitis hoſtibus,ac rerum geſtarum
felicitate, ſuperatis inimicis , opulentiſſimi Im-
perij compos factus , Principem aliquot luſtris
egit , tanta animi moderatione , æquitate , cle-
mentia, populariq; humanitate. Vt qui armorũ
fulgore hoſtibus terribilis erat , & inuictus ad-
uerſus omnem vitiorum intemperiem , publico
iudicio eius ſeculi , Principum longè optimus
cẽſeretur. Tu manibus bene precare; & ſi patriã
amas,ſimiles ei Principes opta,& vale.

LESCVS NIGER. XVII.

BOleslao Pudico è viuis ſublato, in principatũ Minoris Poloniæ ſucceſ-
ſit Leſcus Niger, Cazimiri Cuiauienſium Ducis F. nepos Conradi Du-
cis Maſouiorum, pronepos Criuouſti Tum enim Polonia per Tetrarchas
& regulos diuiſa, tota ciuilibus armis ardebat, & quiſque ſuo arbitrio bella
gerere conſueuerat, etiam cum vicinis; quamuis aliquando in vnam con-
ſentire coegerit communis metus, à Barbaris vniuerſæ Poloniæ illatus,
prout & poſt obitum Pudici, accidit quum Ruſſorum Dux Leo, media
bruma oram Lublinenſem ingreſſus peruaſtaret, & in Sendomirienſi tra-
ctu incurſiones incolis maximè funeſtas faceret: vniuerſi Poloniæ Dynaſtæ,
tacito quodammodo conſenſu, Leſco Principatum permiſerunt, quod tam
graui bello ingruente, metus ſpacium contentionibus, & nouandis rebus
non daret, & ille ipſe imperio digniſſimus videretur, qui res ſtrenuè gerere,
& ciuibus oſtendere captos hoſtes iam didiciſſet; quin & patri impio, alie-
na bona inuadenti, maximè verò Eccleſiæ, cum fratre Ziemomyslo, maio-
rem partem principatus ademiſſet, proceribus ipſis cum omni nobilitate
fauentibus. Atque ita qui aliena iniuſtè appetebat, ſua turpiter amiſerat:
nam Ziemomyslus, filius Leucicienſem illi diſtrictum ademerat, Leſcus
verò Siradienſem. Qui, vbi primis comitijs, ſine vlla repulſæ ſuſpicione
Princeps extitit, & more conſueto Cracouiam metropolim ingreſſus eſt,
nihil omnino antiquius habuit, quàm proferre fines, imperij limites armis
tueri, Tartarorumq; præſertim infeſtas manus atque Ruſſorum repellere;
debellare contumaces, & neminem aduerſum ſe inſoleſcere pati. Itaq; coa-
ctis intra paucos dies copijs, in Ruſſiam duxit, vt Leonem vlciſceretur, qui
ſub tempus interregni, cum ingenti Ruſſorum ſuorum, Tartarorum atque
Lituanorum exercitu, Minoris Poloniæ prouinciæ peruaſtauerat. Qui
quidem iam à Varſio Caſtellano Cracouienſi profligatus, vbi primum ad-
uentare Leſcum cum exercitu inaudiuit, non reſumpto è ſuperiori clade
animo, expectare eum in confinijs ſui principatus noluit, ſed in penitiora
Ruſſiæ quantocyùs ſeſe recepit, Quocirca impunè Leſcus, hoſtilem regio-
nem ad Leopolim vſque peruagatus, direptis exuſtisq; multis pagis & op-
pidis, arcibus que nonnullis, quæ negligentiùs ſeruatæ ac defenſæ erant, ca-
ptis & euerſis, ingentem prædam in Poloniam abegit. Sequenti deinde an-
no, qui fuit 1281. contra Vratislauienſium Ducem Henricum Probum ex-
peditionem inſtituit, quod is tres ſimul Duces ad colloquium euocatos,
dolo cœpiſſet, Præmislum videlicet maioris Poloniæ Tetrarcham, & Hen-
ricos

ricos duos, alterum Glogouienſem, alterum verò Leguicienſem Dynaſtam.
Triplici itaque agmine Leſcus Vratislauienſem ditionem aggreſſus, acerbè
eam diuexabit, & improbum illum Probum continenti bello attritum,
pluribusque fuſum prælijs, principatu expulit, & affines Duces in liberta-
tem vindicauit. Quo tempore Lituani, ſimiliter tripartito agmine Lubli-
nenſem regionem ingreſſi, crudeliter vniuerſa loca depopulati ſunt, Iſtu-
lamque fluuium tranſgreſſi, ditiones Leſci vltra Sendomiriam ferro igniq;
peruaſtarunt. Accurrit ſubſidio ſuis & Leſcus, ſed iam minùs tempeſtiuè,
ſiquidem hoſtes præda onuſti receſſerant, & ſeſe ſyluis denſiſſimis abſcon-
derant, quos ille cum parua manu ſuorum, per ignota locorum, perſequi
non audebat. Anxium itaque, quòd hoſtem vlciſci, ſuosque qui captiui
abducebantur vindicare procliuè non eſſet, & labore itineris inſomnioque
fatigatum, in illo æſtu animi, ſopor repêtinus inuaſit: Somniatusque eſt, iuſ-
ſus ſe eſſe à Michaële Archangelo barbaros perſequi, cum ſponſione certæ
victoriæ, Quod cum pro concione expoſuiſſet, & milites ſuos animatos
ex eo vidiſſet, opidò abeuntium hoſtium veſtigijs inſiſtit; & inter Naruam
& Neminem flumina, 13. die Octob. eos conſequitur, pugnatque &
vincit nullo de ſuis amiſſo, captiuis quoq; ipſis à tergo terrorem incutien-
tibus. Et hic Iazygũ reliquiæ penitus iam deletæ ſunt: De Lituanis verò ipſis,
quatuordecim millium bellatorum ceciderunt, cum Leſci totus exercitus
vix ſex millium eſſet. Igitur ouans Lublinum reuerſus, victoriæ monimen-
tum, Diuo Michaëli templum ſplendidiſſimum erexit. Sendomiriamque
progreſſus, quæ ſe interea temporis Conrado II. Maſouiorum Duci, cùm
toto diſtrictu dediderat, magna animi moderatione & prudentia in ſuam
poteſtatem redegit, gliſcenſque ciuile bellum ſapienter oppreſſit. Cum au-
tem Cracouiam redux Comitia perageret, & iudicia exerceret (laudabi-
li enim tum Perſarum & Romanorum inſtituto, Poloniæ Principes, omnes
vniuerſæ ditionis ſuæ prouincias obibant, luſtrabantq;, quò ſi quæ opē regiã
deſiderarent, eis Rex vel Princeps adeſſet, continuoque res componeret
& ſtabiliret. Cuius rei etiamnum habemus memoriam, officiales in quali-
bet Prouincia, Regio ſeruitio deputatos, ne Rex grandem comitatum
ſumptu ingenti ſecum circumducere cogeretur) cognouit Lituanos iterũ
reſumptis viribus in Poloniam incurriſſe, & Lucouienſe territorium,
tractumque Sendomirienſem improuiſis populationibus euaſtaſſe. Qua-
re cum ijs qui aderant ex equeſtri ordine, correptis celeriter armis, cæte-
risque ſine mora ſequi iuſſis, nocturnis pariter ac diurnis itineribus hoſtem
perſequitur, & aſſecutum iſto prælio aggreditur ac vincit, trucidatis etiam
qui in ſyluis delituerant, Eaque victoria ferox Maſouios quoque qui vete-
res

res fines transilire, alienumque inuadere arroganter audebant, iustis affecit cladibus. Cæterum, domesticas turbas non extinxit, quas Paulus Episcopus Cracouiensis ad seditiones natus passim excitabat, clementia tam benigni Principis abusus; illoq; suasore nõ tm̃ Sendomiriẽsis, sed & Cracouiensis terra à Lesco defecit, & Conradũ Masouiorũ Ducẽ ad suscipiendum principatum accersiuit, Lescus aũt Cracouia sola in fide eius persistente, in Vngariam ad Ladislaum Regem profugit. Et impetratis ab eo auxilijs, vt arci Cracouiensi subueniret, celeriter in Poloniam redijt: occurrentemq; sibi exercitu Conradum, ad Rabam fluuium, ita fortiter excepit, vt victus ille & profligatus in Masouiam vsque profugeret; & Lescus moderatè vtẽs victoria, facillimè totum Principatum recuperaret, Anno ducentesimo octuagesimo quinto, supra millesimum. Sequenti verò dissimulato proposito, per speciem Lituanici belli, Masouio bellum intulit, & ditionem eius fermè totam, ferro & igni vastauit, cumque præda ingenti, domum reuersus est. Atque sic ex eo tempore, prior illa fortuna, ab eo recessit, & secundæ res aduersis commutatæ sunt, ne impunè ferret Deum & homines fefellisse, & prætextu pietatis iræ suæ impẽsius indulsisse. Itaq; Tartari vniuersã Poloniam quæ eius ditionis fuit, crudeliter euastarunt, & ipse tantæ multitudini resistere nequiens, iterum fuga in Vngariam consulere sibi coactus est, Reuersusq; cum auxiliaribus copijs, iterato expeditionẽ cõtra Conradum Masouiorum parare cœpit, sed cũ ad eam segniorem nobilitatem videret, Palatinum modò Sendomiriensem eò misit; qui à Conrado profligatus, etiam ipse occubuit. Et Lescus ex dolore rei malè gestæ, in morbum lentum statim incidit, quo sensim tabescens, tandem vitam cum morte commutauit, & in templo SS. Trinitatis apud Sodales Dominicanos honorificè sepultus est. Cui nos pro more hoc breue Cenotaphium erigamus.

Vitæ instabilitatis exemplum, viator, Lescus Niger, hic quiescit. Qui pro defensione bonorum Ecclesiæ, contra impium patrem, pia arma sumens, tota pene Cuiauiensi Tetrarchia eum spoliauit. Principatumq; Minoris Poloniæ, parante aditum fortuna, adeptus, Roxolanos, Iazyges, Tartaros, Silesios, Lithuanos, Masouiosq; suas

suas ditiones, infestis populationibus inuadentes, secundis semper prælijs deleuit. Ita, vt in toto Polonici regni limite, deuictarum ab se gentium, summæ gloriæ trophæa spectarentur. Hic est ille incomparabilis fortunæ atque virtutis Heros, qui omnibus bellis ipse præfuit, pugnacissimus Imperator; supraque aduersæ fortunæ difficultates eluctatus, non modo de hostibus, sed de ipsa quoque inuidia triumphauit. Et Iustitia, Religione, Prudentia, animi magnitudine, Clementia, Patientia, alijsq; insignibus virtutibus, tota vita, lõge ornatissimus fuit. Sed qui demum vertente se fortuna, sui dissimilis & impotens factus, ex mœrore animi subito concidit, & anno MCCLXXXIX. Raptus est fato suo, quum regnasset annos. X. tu si prudens es, admirabile insolentis fortunæ documentum hinc cape, & si pius esse velis, ipsius animæ requiem precare.

PRÆMISLVS REX. XVIII.

IN neminem vt videri potest, vel ab initio blandius, vel in exitu acerbius & petulantius fortuna iocata est, quam in ipso Præmislo Duce Posnaniensi, Poloniæ deinde Rege. Is etenim sextumdecimum annum agens, à

Boleslao patruo, Duce Calissiensi, contra Marchiones Brandeburgenses missus, adiunctis quorum consilio faceret omnia Predipelco Palatino Posnaniensi, & Io. Castellano Calissiensi, grauibus & prudentibus viris, & peritis rei militaris. Cum quibus profectus, Drenum & Strelce arces permunitas, post breuem oppugnationem diripuit & excussit; longeque ac late hostili regione vastata quæ cis Oderam est, cum præda ingenti domum redijt: atque hæc tunc rudimenta militiæ fecit. Cum verò Henricus Probus Dux Vratislauiensium, per insidias à Boleslao Caluo patruo suo captus fuisset, & omnes Poloniæ Satrapæ, indignitate rei moti, ad eliberandum eum exercitus suos misissent, Præmislus quoque cum suis copijs suppetiatum venerat, & obuiam Boleslao prodeunte, vnà cum alijs magno ardore prælium commiserat. Et quamuis magnam iam stragem in hostibus edidisset, ita quod iam Boleslaus Caluus conspecta suorum paucitate, vno tantum comitatus milite, ex acie profugisset, nouercante nihilominus fortuna, ab Henrico eius filio, qui boni imperatoris fungens officio instaurauerat prælium, non modò victus fuit, sed etiam captus. Vnde certis conditionibus dimissus, cum iterum signa Boleslai patrui Calissiensium Ducis contra Saxones secutus, in hyberna victor domum rediret, ab Henrico Probo, Vratislauiensi Dynasta, pro quo arma sumpserat, & diuturnum carcerem perpessus erat, quasi ad colloquium cum alijs Ducibus Poloniæ euocatus, tamdiu ab improbo cognato in carceribus detentus fuit, donec lytro ingenti sese eliberasset, & Velunense insuper ipsi territorium concessisset. Non desponderat nihilominus ijs casibus animum vir acer, & ad res magnas gerendas factus, sed auctus accessione Pomeraniæ, in qua bella gerens, præclarum virtutis specimen superiori tempore dederat. Henricique Vratislauiensis testamento, Cracouiensis & Sendomiriensis Princeps nuncupatus, ad totius Poloniæ (nam Maiorem Poloniam ferè totam solus obtinebat) dominatum aspirabat, intermissumque regnum ducentis quindecim annis, magno & excelso animo ambiebat. Igitur Anno mundi redempti 1295. indictis Gnesnam, vetustam totius Poloniæ metropolim, comitijs, diadema regium ab Iacobo Suinca Archiepiscopo Gnesnensi accepit, tricesimum octauum agens annum. Ac primum omnium offensos ob præsumptum à se regnum cæterorum Ducum animos, blandis & modestis legationibus demulcere, & ad restinguenda mutua odia, ac dissidia intestina componenda, cohortari instituit: deinde externis bellis sedãdis tollendisque manum admouit, ac præcipuè, Gedanum munire ob suspectam Crucigerorum vicinitatem orsus est; cum ecce interim præclaros eius conatus mors immatura præcidit, septimo vel octauo

octauo regni suscepti mense. Cum enim fessum Reip. curis animum, apud Rogosnũ oppidum venationibus relaxaret, Otto Longus, Marchio Brandeburgensis, potentiam eius veritus, cum Ottone altero, & Ioanne, Conradi fratris filijs, ex Constantia Præmisli sorore susceptis, incautum & nihil hostile à cognatis metuentem, cum armatis aliquot turmis, nocturno tẽpore aggressus est. Ille expergefactus primo tumultu, nec subita re consternatus, cum paucis qui euigilarant, in hostes ad se venientes, nesciens quinam, quamque multi essent, pro innata generositate animi insiluit; & multis strenui fortisque viri operibus in eos editis, cum vnus omnium telis cominus eminusq; peteretur, demũ obrutus cecidit. Corpus Posnaniã relatũ in basilica, cũ maioribus eius conditũ est. Nos tam insignibus virtutibus præditum, breui Epitaphio cohonestemus, quanquam nos herclè non vitæ, sed gloriæ spatio metiri illum decet, quem & belli vsus iam tunc formidabilem hostibus, & pacis artes cunctis non dicam ciuibus, sed mortalium seculis fecẽre venerandum, licet Regium nomen quod assumpserat, paucis diebus habuerit, decenter ast tamen illud & cum magna laude gessit, vt dignus meliori fortuna videatur.

Claudit hæc vrna Viator, incomparabilis Herois, Præmisli Poloniæ regis ossa, qui non inuictis modo armis, sed magnitudine animi, admirabilique virtutum omnium concursu, cunctorum suæ ætatis Regum decus superauit. Eorumque Gloriam Generoso spiritu æmulatus, intermissum ducẽtis & quindecim annis Regium nomen, sumpto Diademate instaurauit. Et quamuis præcipitis fortunæ ludo iactatus, bellicosiss. nihilosecius Vandalorum Populos, Pomeranos, Silesitas, Brandeburgenses, Saxonesve, quos suum cœlum, suum sydus

acrius animabat, armis ita perdomuit, vt ipſa mors eius argumento ſit, eum non aliter vinci potuiſſe, quam fraudibus & inſidijs. Hic enim eſt ille Princeps, qui ſolus fere hoſtiles acies non dubitauit inuadere, cum improbo aſtu, Henrici Probi, circumuentus eſſet, cum quibus diu fortiter ſtrenueque pugnans, extremum prope ſubijt infortunium. Quod nec euaſit poſtea, ab agnatis Brandeburgicis Marchionibus, nocte illuni, domi ſuæ, inuaſus. Vbi deſertus ab omnibus, ſe ipſum tamen non deſeruit, ſed plus quam vel Hoſtis ſperaret, ſeſe acriter defendit, atque demum obrutus numero, confectuſque vulneribus, nobilem animam expirauit anno MCCXCV. Vt de Rege ſummę, ſed infauſtæ virtutis, Clariſſimo, deforme ſpectaculum ederetur. Volui vt iſta non ignores, & pro anima ipſius ores.

XIX. *VLADISLAVS LOCTICVS.*

HVmanarum rerum velut circulum quendam eſſe, pulchre Heſiodus dixit, qui rotatus ſemper eoſdem fortunatos diu non ſinit. Hoc cum alias paſſim, tũ in vita Vladislai, ab exigua humiliq; ſtatura, Loctici, id eſt, cubitulis cognomentũ tulerat, manifeſte videre eſt. Is magno cõſenſu omniũ Rex Poloniæ deſignatus, ter imperio deiectus fuit; ſemper aũt generoſo

roſo riſu collata ſibi ſemel ſceptra, eripientibus extorſit, & in honore vixit vſque ad fatalem ſuũ diẽ. Quo ſanè exemplo videri poteſt, veræ virtutis nomen, inſolentis Fortunæ fluctibus, iactari quidem, ſed nunquam mergi atq; opprimi poſſe. Igitur Vladislaus puer adhuc & vix decennium egreſſus, Cuiauienſium atque Lencicienſium Dux, ab obitu patris Cazimiri factus, non tulit Goſtinium, à Conrado fratre, dolo ſibi ſurreptum, impunè poſſideri: verùm tumultuaria manu facta, vt primum læſus, ſilenti agmine ad Bloſcum metropolim Conradi ipſius, celeriter contendit, noctuque arcem aggreſſus, vigiles omnes cædit, & fit voti compos. Nec reſtituit fratri minitabundo, niſi reſtituto quoque ſibi Goſtininio, damniſque reſarcitis. Paucis poſt diebus, Leſco nigro ſine liberis vita functo (cuius ille frater erat, alia quamuis matre genitus) Siradienſem dominatum vel inuitis ciuibus occupauit; & ad cæteros quoque Ducatus atq; prouincias adſpirabat, cupiditate potius proferendæ ditionis ſuæ, quam verò iure aliquo ſucceſſionis. Nam minores Poloni tum Henricum Ducem Vratislauienſem Principem ſibi delegerant, qui, omiſſa Bohemia (ad cuius quoque imperium inuitabatur) celeribus itineribus ſuperueniens Cracouiam poſſederat; & Locticus indignum ratus alienum fratri ſuo Leſco ſuccedere, exercitum opidò ad deijciendum eius præſidium eduxit, & ad Seueriam oppidum, tres Sileſiorum Duces, cum expeditis copijs, ab Henrico tum ægrotante ſibi oppoſitos repperit, Henricum videlicet Legnicenſem, Præmislum Sprotauienſem & Boleslaum Oppolienſem, patrueles ipſius Henrici: & prælio commiſſo multis vtrinque cadentibus, ad extremum Loctico ceſſit victoria. vbi Præmislus ſtrenuus adoleſcens interfectus, Boleslaus verò ſaucius captus eſt. Item duobus alijs certaminibus, apud ſcalã videlicet & Suetnicium Locticus Sileſij copias ſecundis prælijs deleuit. Victor igitur Cracouiã profectus, omnium acclamatione Princeps ſalutatus eſt. ſed qui non diuturna lætitia frui poterat, pauciſque diebus poſſeſſionem principatus retinuit. Siquidem veniente Henrico Legnicienſi, (ipſi etenim Henricus Vratislauienſis adhuc decumbebat ægrotus) cum nouo validoque exercitu, cui nocte intempeſta, proditores vrbem aperuerant, ſumpto monachi habitu fugere coactus eſt, cum ſuos paſſim per vicos cædi, & ſe quæri animaduertiſſet: De muro itaq; à Franciſcanis Sodalibus demiſſus euaſit: & Sendomirienſem nihilominus dominatum fortiter retinuit. Vnde dum à Boemorum Duce Venceslao, qui poſt obitum Henrici Vratislauienſis, Cracouia poſitus erat, adortus eſſet, ita ſe ſtrenuè, quamuis vndique hoſtibus cinctus geſſit, vt cæſis captiſque compluribus Boëmos toto diſtrictu eiecerit; nam non ſolùm munitiones ab eis captas fortiter expugnauit, ſed ipſum quoque Venceslaum,

cum Marchione Brandeburgensi Otthone Longo, contra se venientem, ita continuis velitationibus afflixit, vt multis millibus amissis, vterque rebus infectis donum redire cogeretur. Nusquam enim ad vniuersæ rei dimicationem Locticus venire volebat, quamuis non contemnendum etiam & ipse exercitum haberet, sed quia Saxones melius armis vestiti fuerant, ideo ex insidijs tantum, cum nudi sui essent omnes, assiduè vexabat hostes: maximè pabulatores & frumentatores, ita, vt nusquam è castris absque forti præsidio prodire auderent, & in castris excubias nocturnas duplicarent. Sæpissimè enim quiescentes & corpora curantes, quam tumultuosissimè ad castra adequitans exagitabat. Reuersoque Venceslao in Boemiam, subiectam illi ditionem Cracouiensem infestabat, & magnis incommodis præsidiarios Boemos, vastationem agrorum prohibere volentes afficiebat. Cumque Præmislus Rex à Marchione Brandeburgensi fraude occisus esset, nullus inter Satrapas Poloniæ regno administrando melior visus Vladislao Loctico, quippe qui & in bellis compluribus gestis acer atque peritus rei militaris esset, & non parum roboris, domesticis suis opibus ad teneras adhuc noui regni vires adiecturus videbatur. Itaque in verba eius omnes iurant, & possessiones regni munitionesque tradunt. Ille nihilominus incertum quæ de causa, solennem regibus coronationis ritum distulit, nec regis nomen, sed hæredes regni Polonici vsurpauit. Et quia Silesij tunc Boemis satius fauebant, qui præsidio Cracouiam, & nonnulla alia loca pro Venceslao tenebant, præbebantque eis aditum ad cæteras Poloniæ oras, idcirco in eos inprimis expeditionem Vladislaus fecit, & non modò Boemorum præsidia fautoresque crebris excursionibus vexauit, sed vniuersam ferè Silesiam depopulatus, luculentam prædam, nemine prohibente in Poloniam auexit. Sed quum & ipse licentius quam decebat regem viueret, & milites sui bona nobilitatis atque Ecclesiarum direptionibus assiduis vexarent. Proceres post tot admonitiones factas, tandem apud Posnaniam conuentu habito, regnum illi tunc absenti iterum abrogarunt, Venceslaumque Boemum regem inaugurarunt. Quapropter Locticus non regno tantùm sed & patrimonio quoque spoliatus abiecta spe recuperandi sua & insidias aduersariorum declinans in Vngariam secessit. Inde porrò Romam priuati habitu profecta facinora sua, duriore pœnitentia expiauit, deinde reuersus in Vngariam, Amedei Palatini Vngariæ hospitio aliquot annis vsus est, occasionem expectans, qua regnum ereptum repeteret. Est enim occasio, anima actionum, & rerum omnium benè gerendarum mater, præsertim in bellis, quæ semel neglecta, non nisi summis discriminibus recuperatur: & hinc Cicero dicit

dicit plura negocia oportunitate occasionum, quàm viribus esse rectè confecta. Cum itaque Polonis exosa iam esse inciperet Boemorum superbia, & Venceslaus bello Vngarico pro filio distentus esset, ac tandem breui moreretur, Vladislaus arrepta occasione cum aliquanta manu Vngarorum adueniens, arces nonnullas in suam potestatem redegit, ac tandem pulsis Boemis regnum vniuersum occupauit, non tamen diademate coronatus, quia maiores Poloni Henrico Duci Glogouiensi sese subdiderant, quos postea Vladislaus populationibus vastauerat, Henrico nusquam in dimicationem prodeunte, ac tandem in suam potestatem receperat. Comitijsque Cracouiam indictis, ad vicesimam diem Ianuarij Anno reparatæ salutis 1320. cum vxore Heduigi in Basilica Cracouiensi, ab Archiepiscopo Gnesnensi, vita solenni coronatus est. Atque ex eo tempore, ius inaugurandi reges, atque ipsa regni insignia Gnesna Cracouiam, propter amplitudinem splendoremque vrbis, & plurimos maximasque commoditates, translata sunt. Interea Crucigeri cum Masouijs atque Brandeburgensibus fœdere inito, vniuersam Pomeraniam possederant, varijsque fraudibus ac dolis Vladislaum munitionibus & possessione exuerant. Quos ille bello vlcisci cupiens, Masouiam primo ferro & igni longè latèq; vastauit: sequenti deinde anno in Marchiam Brandeburgensem expeditionem fecit, & ad Francofordiam vsque cum infesto exercitu progressus, cum nemo contra prodiret, incensis plurimis pagis atque vicis, magnum captiuorum numerum & prædam ingentem inde abegit. Anno verò 1328. expeditionem toti Poloniæ in Crucigeros indixit, & cum omnibus copijs hostium fines ingressus, Culmensem tractum omnem, vsque ad Ossam amnem, flammis, cædibus, & populationibus peruastauit, Crucigeri quoq; viceuersa cum Masouijs in Cuiauiam excurrerunt; quò accurrit & Vladislaus cũ suis copijs, pugnauitq; collatis signis fortiter, & euentu prospero satis; nam Masouij statim cum duce suo Venceslao dffugerunt, Crucigeri autem fortiter dimicantes, ad internecionem vnà cum Commendatore Torunẽsi cæsi sunt. Varia deinde fortuna Vladislaus cum Crucigeris, Germanos & Boemos in auxilia aduocãtibus, bellũ per annos aliquot gessit: atq; demum Maiorem Poloniam vastantibus propè Radiouiã occurrit, collatisq; signis viginti millia ex eis in vna acie occidit; cũ vix triginta gregarios milites, & duodecim nobiles de suis amisisset. Iterumq; Masouiam & Culmensem tractum populatus, certis conditionibus pacem supplicantibus Crucigeris dedit. Cum exercitu autem in Silesios, qui anno superiore Poloniæ arma intentarant, progressus, ac nemine pugnandi copiam faciente, quinquaginta & amplius munitiones hostium cœpit, & incen-

incendit. Reuersusque ab eo bello Cracouiam ad sextum Idus Martias Anno Christi 1333. inter suorum lamentantium manus animam exhalauit:& in basilica Cracouiensi ad læuam aræ maximæ sepultus est. Princeps singulari patientia & mansuetudine, profusaque inprimis & perenni erga milites liberalitate. Clade enim aliqua accepta, militem propria pecunia iuuabat:vtque cladis memoriam etiam comitate leniret,circumire saucios, facta singulorum extollere:vulnera intuens, alium spe, alium gloria,cunctos alloquio & cura sibique & prælio firmabat. Quam verò magnanimus fuerit,vel ex eo solo colligere est,quod tametsi res eius bello attritæ,& iam desperatæ essent , nunquam tamen ad honestissimas pacis conditiones, quæ illi proponebantur,dummodò Regis nomine se spoliare vellet,& iuribus suis renunciare, attendere voluit: quin fortiter, & viriliter omnia tolerando vsque eò obdurauit,dum conuerso rerum statu, regnum fraternum ingenti cum gloria armis recuperauit. Non cessit ille nouercanti fortunæ, sed fortiter restitit, probè gnarus, infirmi ingenij esse lapsu aliquo, summæ rei diffidere,cùm exiguis momentis subitò inclinentur omnia,quæ in bello geruntur.Itaque consuefecerat se,vt quoties in metu esset,hilaritatem præ se ferret;rebus contra secundis,humilis esset. Non de nihilo itaque Seneca scripsit, Duces rebus afflictis hilaritatem de industria simulare, & aduersas res adumbrata lætitia abscondere , ne militum animi,si fractam Ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur. Non inquam de nihilo: quia,necesse est,ad fugam parati sint,qui Ducem suum sentiunt desperare, vt Vegetius ait verissimè Lib.3.cap.22. Sed nos pro modulo nostro sepulchrum tam magni Herois scribendo saltim epitaphio cohonestemus, cum aliter exornare non possumus.

Claudit hæc exigua vrna, viator, magnum Sarmatiæ Heroem, Vladislaum cognomētu Locticum, Religione, Mansuetudine, Liberalitate, Constantia, Facilitateq; inter Polonię Principes Clarissimū, qui statura pusillus, ita manu prōptus fuit, vt cum robustissimo quouis ad singulare certamen descēdere non exhorreret, virtute vero tanta

ro tanta, vt cum maximis Regibus rectè comparari possit, ac eo quidem magis, quo turbulentius & mutilatius Regnum accepit! Hic est ille Locticus, cuius heroicam fortitudinem inuictamque potētiam, & Silesij foris, & Masouij domi, & Bohemiæ regulus vtrobique exercuit: cuius generosum pectus, & excelsum animi vigorem, nec Brandeburgicus Marchio sua proteruia, nec Mariani Teutones pertinatia, nec Pomeraniæ Duces perfidiæ scelere, nec omnes simul immani sua potentia, infringere poterant. Hic est ille bellator inuictus, qui hostium ferociam, agnatorum inuidiam, ciuium rebellionem, ipsius denique fortunæ insolētiam, ter Regni priuatione ab illa mulctatus, perpetua sua constantia deuicit, superatisque omnibus immitis Deæ aduersitatibus, Gloriosus tādem, Inclytus, fœlix, & Triumphator, bonorum omnium cum luctu, fatu concessit non plane Senex sexto Idus Martias Anno M. CCC. XXXIII.

CAZIMIRVS MAGNVS. XX.

CAzimirus cognomento Magnus summam ingenij grauitatem, indomitum præstantis animi vigorem & prudentiam in explicandis cum

ciuilium, tum bellicarum rerum difficultatibus incomparabilem prætulit;
per omnem ætatem Locktici patris virtutes æmulatus. Hic multò plura
conſilio quàm vi aut armis feliciter geſſit, procerumque pariter ac equitum
vnanimi conſenſu Rex Poloniæ factus, inprimis latrocinijs itinera purga-
uit, quæ regnante patre ob impunitatem valde increbuerant; poſtea ad ex-
terna mala, manum admouit. Erat enim non mediocriter in rebus belli-
cis verſatus, quamuis ad ſtudia pacis natura fuerit pronior: deditque ſingu-
lare virtutis ſpecimen, patre Vladislao cum Sileſijs bella gerente, vbi, cum
in acie ſemper primús viſus eſt, tum in oppugnatione Coſteni, munitiſſimæ
arcis, inter ſtagna & paludes ſitæ, validoque hoſtium præſidio defenſæ. Ir-
ridebat enim obſidionem noſtrorum hoſtes, ſiſi viribus ſuis & ſitu arcis:
itaque motus hac indignatione Cazimirus, audacius cum ea manu, quam
circum ſe habebat, ad mœnia progreſſus, vi expugnare munitionem ador-
tus eſt. Quod conſpicatus reliquus exercitus, ducem ſecutus, non pritus
oppugnare arcem deſtitit, quàm ea per vim potitus eſt. Regni autem habe-
nis ſuſceptis, in Ruſſiam inprimis vniuerſalem expeditionem indixit, cap-
taque Præmislia, Leopoli, atque Halicia, primarijs totius Ruſſiæ vrbibus,
reliquis facilè eius oræ munitionibus potitus eſt, ita vt ad Cremeneciam
vſque arma circumferret. Atque ſic ex eo tempore Ruſſia in formam pro-
uinciæ eſt redacta, Ruſſique ipſi cum Polonis iure & prærogatiuis exæqua-
ti Palatinos, Caſtellanos, pręfectos, iudices, alioſque magiſtratus, Polono-
rum more habere cœperunt. Hoc proſpero ſucceſſu Cazimirus elatus,
totum ſe libidini ac voluptatibus dederat, quæ breui ſic animum eius
emollierunt atque dementarunt, vt paternorum præceptorum dignita-
tisque ſuæ oblitus, iniquas pacis conditiones à Crucigeris acciperet potiùs,
quàm erepta ab ijs bello repeteret; ad quod quidem gerendum ſatis viri-
um, præſertim acceſſione Ruſſiæ habere videbatur. Excitatus autem cre-
bris procerum admonitionibus Anno 1343. Henrico Zeganenſium Duci
bellum intulit, & quidem magnis viribus, vt recuperaret Vſchouienſium
territorium; quod & effecit pauciſſimis diebus, Stinauia, Gora, & Lubino
Vſchouiaque ipſa celeriter expugnatis, præda militibus conceſſa. Hen-
ricus verò ipſe, cum fratribus ſuis Ioanne, Contado, & Præmislo, ſupplex
in caſtra ad Cazimirum veniens, pacem æquiſſimis legibus impetrauit: &
Cazimiro in Poloniam reuerſo, ad Ioannem Boemiæ regem confugit, o-
pem eius implorans, ſeque & ſua omnia eius fidei permittens. Venit ita-
que Ioannes inſequenti anno, cum exercitu numeroſo in Poloniam, & a-
pud Cirinum pagum, in conſpectu Cracouiæ caſtra habuit. Sed noſtris ne-
que frumentari, neque pabulari libere eum ſinentibus, neque tamen pu-

gnandi copiam facientibus, veritus ne in anguſtum redigeretur, biduo
commoratus, ſoluit obſidionem: bipartitoque agmine, quo plura po-
pulationibus complecteretur, exercitum reuerti iuſſit: ipſe autem cum
paruo comitatu præceſſit. Quod vbi Cazimirus didicit, concitato cur-
ſu, abeuntes inſequitur; & primum quidem agmen apud Bialam pagum
adorſus, ſecundum apud Pogonia profligauit, opera Prendotæ Galcæ,
gente Odrouanzij, vbi plurimi cæſi captique fuêre de primoribus Boe-
miæ. Quo etiam tempore Tartari obiter tranſcurſa Ruſſia, magna vi in
Poloniam contendebant, quibus Cazimirus obuiam profectus, poſitis in
ripa viſtulæ ſtatiuis, tranſitu eos prohibuit: Qui ferro atque igni obuia
quæque vaſtantes, per Lublinenſem tractum retro abiêre. Eorum po-
ſtremum agmen tantùm Cazimirus carpebat, aut ſi qui longius ab exer-
citu receſſiſſent; manus autem iuſto prælio cum eis conſerere non eſt au-
ſus, quod longè maiores copias illo haberent. Anno deinde 1349. fecit
Cazimirus Rex expeditionem in Ruſſiam, vt eam quoque partem, quam
Lubartus & Keiſtutus Lituaniæ Duces ſibi vſurpabant, regno ſuo adijce-
rent: magnaque felicitate vſus, vna æſtate expugnatis arcibus Luceoria,
Vlodimiria, Breſte & Chelma: cæteris in deditionem acceptis, Volhy-
niam omnem Belſenſemque & Breſtenſem tractum, in poteſtatem ſuam
redegit. Conantibuſque Lithuanis recuperare Ruſſiam, & cum exerci-
tu ingenti ad Leopolim vſque excurrentibus, Cazimirus eis cum expedi-
tis occurrit, vnoque prælio totum bellum confecit, capto Duce eorum
Lubarto, cæſiſque ad internecionem eius copijs. Et Lubartus quidem
promittens ſe Chriſtianam Religionem vnà cum fratribus ſuis ample-
xurum, non ita multò poſt è captiuitate euaſit: Cazimiruſque ipſi non
diu ſuperſtes vixit; ſed dum cupidiùs ceruum fugientem, vti venationi erat
deditus, impedito loco & inter vepres perſequeretur, labente equo cum
impetu magno vehementer homo ſenex & carnoſus conquaſſatus eſt, &
in morbum deinde lethalem incidit; indeq; Cracouiam deportatus, cum
ritè Sacramenta Chriſtiana percepiſſet Nonis Nouemb. 1370. vitam ex-
halauit; & in baſilica Cracouienſi ad dextram aræ maximæ honorificè ſe-
pultus eſt. Pacis vt dixi, quā belli artibus & operibus clarior, vnde & Magn
cognomentum ſolus hic inter Polonorū Principes, non tam virtute bellica
& victorijs meruiſſe videtur, quàm operibus magnificis & plurimarū arci-
um & oppidorū munitione: & quod omniū ſummorū pariter & infirmorū
hominū erga ſe beneuolentiā, ijſdem quibus collegerat virtutibus, hoc eſt
iuſtitia, facilitate, humanitate, elegantia & clementia ad extremum retinu-
it. Etenim ad gloriam quidem plus valent bellicæ virtutes, præſens verò

hominum benevolentia, leuioribus his virtutibus facilius comparatur. Magis illas ferè homines admirantur, sed hos gratiore memoria prosequuntur. Tametsi bellicæ quoque gloriæ Cazimirus non expers fuit cùm alibi, tum in Russia maximè, quam à maioribus suis amissam, maiore felicitate, quàm sudore recuperauit. Cuius rei memoriam, ne vetustas temporum aboleret, superbissimum ei grata posteritas mausolæum erexit, ad quod nos quoque hoc breue Epitaphium appendamus.

Quis fuerim, quid egerim, qui monumentum posuerint, si tua scire refert Viator, hanc Subscriptionem diligentius legito.

Vladislaus, rex Poloniæ, ob breuitatem staturæ, Locticus, id est cubitalis dictus, me Cazimirum Cognomento Magnum, genuit: non à proceri quidem corporis statura sic appellatum, cum hæc mihi vix mediocris fuisset, sed à magnitudine inuicti liberalisque animi, & perpetuo Illustris vitæ splendore, quo vel opulentissimos ætatis meæ Reges antecessi, habenisque Imperij susceptis inprimis Poloniam meam Latrociniis purgaui, ac Patriciis insolescentibus, æquior Plebi fui: tum Silesios, Tartaros, Bohemosue, Regna mea infestantes, cladibus ingentibus affeci, & in Triumphum duxi: debellatisque Russis atque Lithuanis, Pomeria mea eorum Prouinciis auxi; & Coloniis Germanorum eo deductis, Patriam meam cultiorem atque populosiorem reddidi. Tandemque Anno reparati orbis M. CCC. LXX. Nonis Nouembris, Fabulam clusi meam, cumque Librorum exors essem, ciues mei mihi Mausolæum hoc pietatis ergo extruxere. Tu vero bone, manibus bona precare: sicque viue, vt &, cum vixeris, viuas.

SENDIVOGIVS SVBINIVS. XXI.

ET vi prudentis ingenij, & belli fortuna omnium Poloniæ Dynastarum præstantissimus Sendiuogius Subinius meruit in hunc fortissimorum virorum campum produci. Qui sub Cazimiro Magno bellis Silesiticis Boemicisq; exercitatus, etiam apud Ludouicum Regem in pretio fuit; cuius signa contra Venetos secutus ordines Polonorum ductabat; Vndeque cum gloria reuersus, Maioris Poloniæ ab eo Præfecturam promeruerat. Qua potitus ob virtutem, cum alia plurima latrocinia purgauit, tum Vladislaum cognomento Album, Vladislai Loctici nepotem, à quibusdam rerum nouarum cupidis, ad regnum accersitum, & Cuiauiam possidentem, cum primò captum & admonitum dimisisset; iterum res nouas molientem, opera Ioannis Kmithæ, Præfecti Siradiensis, & Bartholomæi VVeisemburgij Capitanei Brestensis, apud Gneucouiam conserto prælio, facilè fudit fugauitque: Ac tandem Zlotoriæ circumsessum, magnoque cum labore oppugnatum, per deditionem accepit, & ad Regem in Vngariam misit. Cumque Lithuani, Ducibus Keistuto, Iagellone Lubarto, & Vitoldo Lublinensem atque Sendomiriensem oram, ad Sanum & Vistulam flumina, factis excursionibus popularentur, & Rex Ludouicus ex Vngaria veniens bellum in eos suscepisset, Sendiuogium Præfectura Cracouiensi, & Palatini Calissiensis titulo cohonestatum, cum parte exercitus ad Chelmam recipiendam misit, ipse verò cum

reliquo ad Belſum caſtra mouit: Is intra octauum diem Chelma potitus, Grabouecıam quoque, Grodlum, & Seuoloſſum, munitiones cæpit, rebuſque ex ſententia confectis ad Regem victor redijt: atque ex aſſiduo in caſtris labore, letalem concepit morbum, quem iam planè ſenex, diu ferre non potuit. Cuius nos tumulum hoc breui Cenotaphio cohoneſtandum duximus.

Hoſpes, ſiſte Gradum, & quod ſcriptum eſt perlege. Sendiuogius Subinius, Vir ad omne laudis exemplum genitus, hic tumulatus eſt, qui ob res bello contra Venetos, Sileſios, Lithuanos, Bohemoſque præclarè geſtas, à Cazimiro Magno, & Ludouico eius Succeſſore, Diuis Poloniæ Regibus, maximis in Patria honoribus auctus fuit. Quique præter cæteras virtutes, quibus longè aliis excelluit, hanc maximè coluit, vt omnibus aſſiduè benefaceret, & neminem ob id ſibi deuinctum eſſe vellet. Vale & abi.

XXII. VLADISLAVS JAGELLO.

NEmo credo ſic eſt hoſpes in Polonia, ac in toto fermè Septentrione, cui non ſit auditum de Iagellonia familia, quæ ducentos circiter annos apud nos regnauit, à Lituanorum Ducibus originem ducens. Cuius princeps Iagello Olgerdi filius, rerum geſtarum gloria celeberrimus, Rex Poloniæ Anno Chriſti 1386. omnium conſenſu acclamatus, ſacroq; fonte à Bozenta Archiepiſcopo Gneſnenſi ablutus fuit: cui Vladislao nomen, bono veroque omine, quaſi qui gloria potens futurus eſſet, maiores noſtri indiderunt.

Cum enim is Lithuaniæ & magnæ partis Ruſſiæ dominatu potiretur, expetitus à Polonis, & ad regnum vnà cum coniugio religioſiſſimæ virginis Heduigis, demortui Ludouici Regis Vngarorum & Polonorum filiæ, repudiatis quibuſdam alijs procis, accitus, religioni Chriſtianæ non modò ſemetipſum, ſed cunctam ſimul Lithuaniam addixit; ditioneſq; ſuas omnes Poloniæ fœdere ſempiterno adiunxit, & in curanda, atque à prodigioſis dæmonum ſuperſtitionibus, ad veri Dei cultum conuertenda gente ſua agreſti & barbara, permultum laboris, operę, ſumptuumque impendit. Nec indecorum ſibi duxit præpotens Rex, Doctoris & Apoſtoli munere fungi, apud rudem & vilem plebeculam, cum noſtri ſacerdotes eius linguæ penitus eſſent imperiti. Non enim ſatis ſe functum officio, ac munere regio putabat, ſi tantum res humanas adminiſtraret, niſi etiam res diuinas ſummo ſtudio curaret. Itaque quum iam Lithuanam, ſiue Deo gẽtem, ac impiam antehac, ad ouile Chriſti adduxiſſet, in Eccleſiam dicauiſſet; in Bohemis quoque ad ſanitatem, priſcamque religionem, à multiplici errore, quo ſe ab Ioanne Huſſo ſeducti implicarant, reuocandis, nõ parum operæ ſumpſit. Cumque pertinaciores eos eſſe animaduertiſſet, regnum ab eis delatum repudiauit. Similiter & ab Vngaris oblatum, quod illi viuente Sigiſmundo, quem carceri incluſerant, offerebant. Verùm Petrum Palatinum Valachię, cum ab eis ſub interregno defeciſſet, ſolenni iureiurando in fidem & clientelam ſuam accepit. Prout & Varcislaum Ducem Pomeranorum Scetinenſium, in ſocietatem regni, ritu ſolenni iuratum admiſit. Sileſios quoſdam, & Ruſſos Satrapas domuit. Crucigeros Teuthonas, non modò Lithuaniæ inhiantes, verùm etiam Poloniam ipſam, parẽtem & nutricem ſuam, crudeliter & impiè laniantes, clariſſimis aliquot victorijs repreſſit. Quod equidem bellum, viribus partium, generoſitate ducũ, magnitudine cladium, varietate caſuum, euentorum conſequentia, omnium quæ vbiuis terrarum geſta vnquam ſunt, ſi non maximum, at certè æquale fuit. Quibus deuictis, fractaque potentia totius Germaniæ, pacem æquis conditionibus dedit, quam maximoperè amabat. Erat enim ſingulari lenitate & manſuetudine, ad remittendas offenſas perfacilis, & ſupra modum credulus, quippe qui fallere neminem ipſe conſueuiſſet. Quo magis obnoxius & opportunus fuit, dolis & iniurijs, cum Sigiſmundi Imperatoris, tum Vitoldi & Suitrigellonis, proximorum ſuorum, de quibus erat bene meritus: per quos factum eſt, vt in adminiſtrãdo regno pluſculum, haberet negocij. Quod omni ex parte beatum facere cupiens, cum literas ipſe nullas ſciret, tamen hic omne literarum genus, ac Muſas ipſas tam Latinas quàm Græcas in Poloniam introduxit, eiſque domicilium in ea vrbe collocauit,

quæ

quæ caput ipsius Regni fuit. Cracouiæ enim vniuersale gymnasium condidit, quod omni virtutis, ingenij, ac doctrinæ laude ad hâc diem floret, vt inde tanquam ex equo Troiano, innumerabiles viri prodierint, sapientia & doctrina præstantes. Illoque ipso adhuc viuente, plurimi eruditi in Polonia sunt visi: nam simulatque litteras & literatos in pretio habere cæpit, mox nobilitas, atque adeo plebs ipsa, sic humanioribus literis addicta fuit, vt nullum sæculum legatur feracius virorum in qualibet scientia & facultate excellentium: quos singulos benignè complexus, eorum virtutem liberalissimè fouit. Tanta si quidem fuit liberalitate & munificentia; vt non modò fiscum exhauriret, verum etiam magnam partem regiarum possessionum, ministris suis dilargiretur, ac tota interdum singulis hominibus donaret territoria: sic vt quodam tempore Martinus V. Pont. Max. prodigalitatem eius inhibendam sibi esse duceret, dato ad Archiepiscopum Leopoliensem mandato, vt donationes eius rescinderent. Ipse abstemius in omni vita sua, nec nisi aquæ potor fuit, cæterum cibi appetentior, itemque balnei. Cumque regnasset annos duo de quinquaginta, & tres ferè menses, Anno demũ 1434. pridie Kal. Iunias, septimodecimo die postea quam ægrotare cæperat animam exhalauit, bonorum omnium cum luctu; sepultusque Cracouiæ in Basilica Diui Stanislai. Cuius monumentum, quod carie obsorduerat, per Sigismundum primum Regem Poloniæ eius nepotem, magnificentius renouatum est; vbi nos quoque, tanti Herois pios manes venerati, hoc breue Cenotaphium erigamus.

Viator quisquis es: Hic situs est, Pater patriæ, Magnus Iagello, vir iustus atque perfectus, & in exemplar omnium magnarum virtutum natus, qui in medio Illustrium Sarmatiæ Regum, sicut Sol in medio Planetarum ita refulsit, vt illi similis in Gloria, in toto Septentrione non fuerit. Dux Magnus, Princeps Magnus, Apostolus suę Gentis maximus, & Regum omnium Polonorum decus & ornamentum. Hic tam Bellicis, quam

quam Religionis laudibus cumulatus, multa trophæa de hostibus omnis generis constituit. Inter quos Germanos, Crucigeris Borussicis suppetiantes, ad Gruneualdum memorabili pugna deuicit. Cęsis in acie vno die, quinquaginta millibus, captis quatuordecim. Quod nulli vnquam Regum, neque Nationum de Germanis licuit. Cumq; octo & quadraginta annos fœlicissime Regnasset, & quem Deus illi dederat vitæ cursum, multis magnisque casibus exercitum peregisset, pie, Religioseque in Fide Catholica moriens, finem viuendi fecit, Anno M. CCCC. XXXIV. æternitatem memoriæ erudita illi Professorum Academiæ Cracou. quam fundauerat, Scripta contulere, immortalitatem Deus ipse largitus est.

VITOLDVS. XXIII.

ETsi complures Lithuanorum Ducum stirps, viros illustres protulerit, pręcipuos tamen, Iagellonem Regem, atque Vitoldum Ducem, in sua propagine fuisse censemus: quorum prior Olgerdum patrem habuit, posterior Keistutum, vterque autem Gediminum auum. Qui, Vitenen Magnum Lituaniæ Ducem, apud quem Stabuli præfectus erat, cupidine negandi dolo interfecit, fauoreque popularium principatum adeptus, haud mediocriter pomeria sua propagauit, nonnulla parte Russiæ, partim vi & armis, partim pactis sibi adiuncta. Hanc deinde moriens sex filijs partitam

 reliquit

reliquit Moniuido, Narimundo, Olgerdo, Keiſtuto, Coriatho, Iaunuto. Et Olgerdus quidem è Maria vxore Thuerenſium Ducis filia, duodecim maſculos ſuſcepit, Iagellonem, Skirgellonem, Suitrigellonē, Boriſſum, Coributhum, Vigundum, Congellonem, Narimundum, Languinum, Lubartum, Andream & Buthauum. Keiſtutus verò ſex, Vitoldum, Patricium, Totiuilum, Sigiſmundum, Voidatum atque Dougotum. Et quemadmodum inter Olgerdi filios principatum obtinebat Iagello, quòd & natu maximus, & præclara indole eſſet: ſic inter Keiſtuti filios Vitoldus, quòd præter primogenituram & effigie, & virtutibus, & vigore animi expreſſius patrem referret: atque ſic inter hos duos patrueles, ſumma erat & animorum & voluntatum coniunctio. Cum itaque Iagello, paterno principatu potitus, Voidilonem quendam ex humili fortuna euectum (is enim piſtrinam primùm apud Olgerdū patrem eius exercebat, deinde cubicularius, ac tandem pocillator factus, inter intimos habitus eſt) ſumma beneuolentia complecteretur, & ſororem ei ſuam in matrimonium collocaſſet, non leuiter offendit Keiſtutum patruum. Qui, criminatus à Voidilone, contractis raptim copijs Vilnam inuaſit, & Voidilonem captum opidò in crucem egit: quum Iagello per id temporis, cōtra Polocenſes imperium ſuum detrectantes, cum exercitu abijſſet. Quæ dum Iagelloni nunciata eſſent, & Keiſtutus ad Nouogrodum Seuerienſem oppugnandum cum copijs proceſſiſſet, celeriter cum victore exercitu aduolans, non modò Vilnam proditione recepit, verùm etiam Trocos munitiſſimam arcem per deditionem occupauit: parantemque contra ſe bellum Keiſtutum, vnà cum Vitoldo filio, per ſpeciem colloquij ſeuocatos cæpit. Et Keiſtutum quidem, cathenis vinctum, & Creuam miſſum, in carcere necauit, Vitoldū verò fato ſuo ſeruatum, in cuſtodia detinuit. Quem, cum neque Crucigerorum Magiſtri, neque fratrum, patruorumue deprecationes liberare potuiſſent, vxor eius, quę liberam habebat cōmeandi ad virum poteſtatem, nocte quadam, commutato cum vna de duabus pedißequis habitu, veſte muliebri indutū eduxit. Elapſus itaque in Maſouiam ad Ioannem Ducem affinem ſuum, atque inde in Pruſſiā ad Crucigeros confugit; à quibus benigne recreatus & benè ſperare iuſſus eſt. Sed & Iagello ipſe ad Regnum Poloniæ vocatus, ne hoſtem à tergo haberet, reuocatum è Pruſſia multis ſibi beneficijs obſtrinxit: cōceſſoque ipſi Groduēſi dominatu, Breſte, Drohicino, Melnico, Bielſco, Suraſſo, Camenecia, Volconiſco, oppidis atq; territorijs, ita pactus ſibi fidem & obſequium eius, vt is ne legatos quidem, quoquam ſe inſcio mitteret. Quare fidelem præſtitit ille patrueli operam contra Crucigeros, ſub tempus inaugurationis & nuptiarum eius Lituaniam vaſtantes: itemque contra

contra Suetoſlaum Smolenſci Satrapam, eodem tempore ex compoſito, Vitebſcum & Ruſſiæ oram, parte ab alia vexantem, quam non modò defendit, & ea quæ ille poſſederat recupauit, verùm etiam interempto Suetoslao, Ducatum eius Smolenſcenſem, totum in Regis poteſtatem redegit. Sed quum Rex Iagello, prætermiſſo Vitoldo, ac quaſi contempto, ſummæ rerum apud Lituanos pro ſe, Skirgellonem fratrem præfeciſſet: Vitoldus excelſi animi vir, deteriori parere indignum ratus, munitionibus ſuis valido præſidio firmatis, in Pruſſiam ad Crucigeros iterum contendit; apud quos aliquandiu commoratus, rei familiaris adminiſtrationem, & linguam Germanicam didicit: fœduſque icerat cum illis; & ſpe potiundæ Lituaniæ ab eis onerabatur. Sed cum ſuſpectam eorum fidem, ſiue vacua ſuſpicione, ſiue coniecturis quibuſdam habere cæpiſſet, clam ſibi per internunciū Vladislaum Regem reconciliauit: inſcijſque Crucigeris reuertens, tres arces illorum Samogitiæ confines, in itinere cæpit, & exuſſit, præſidiarijs partim cæſis, partim in ſeruitutem abductis. Spe verò adipiſcendi principatus Lituaniæ à Rege ſibi iniecta, cum diu expectaſſet fruſtratus, reconciliatis ſibi per internuncios Crucigeris, tertio ſeſe ad eos recepit, & Lituaniam inde armis eorum toto biennio infeſtauit. Atque de nouo reconciliatus Regi, in abitu aliquot caſtella eorum exuſſit, & captiuos in Lituaniam ſecū multos abduxit, iureiurando promittens ſemper fore in fide & clientela Polonorum. Quapropter Lituaniæ Ruſſiæque toti præfectus, breui temporis ſpacio, detrectātes iuſſa facere Megiſtanes, armis compeſcuit feliciter, partim eiectis aut interemptis rebellibus, partim captis aut profligatis contumacibus. Quin & Tartaros ex Aſia ſeſe effundentes repulit, cæſis tribus eorum ducibus diuerſis prælijs, vt amplius in ditiones eius, pręcipuè in Podoliam, quæ illi tota parebat, incurrere non auderent. Tribumque eorum vnam, quam illi Ordam vocant, cum pueris & mulieribus abegit in ſeruitutem, partemque captiuorum Regi Vladislao, & proceribus Polonis dono miſit, partem in media Lituania, ſupra Vacam amnem prope Vilnam, agris attributis collocauit: qua manent ibi in hodiernum priſcæ virtutis & armorum non immemores, ritus autem patrios Machometicæ ſuperſtitionis adhuc ſeruant. Cum Crucigeris quoque Pruthenicis & Liuonienſibus bellum vario Marte geſſit ſæpiùs tamen proſpero ſucceſſu; nam & Samogitiæ dominatū totum eis ademit, & magno illi Grunealdenſi prælio, cum non contemnendis copijs interfuit, vbi centum quadraginta millia Germanorum cæſa fuêre. Verſus ortum ſolis quoque tranſmiſſo Vgra flumine in Moſchos expeditionem fecit, prouocatus iniuria à genero, Duce gentis Baſilio, quem cum ad pugnam elici nō potuiſſet, peruaſtata longè lateque

lateque regione, præda onuſtus in Lituaniam redijt. Iterumque expeditione in eum ſuſcepta, vſque ad Occam fluuium populabundus proceſſit, & munitiones omnes expugnauit. Ob hæc igitur aliaque huiuſcemodi, vt hominem militarem diligere eum ſuus exercitus, & vt virum fortem admirari vicini populi cæperunt; Ipſeque Vladislaus Rex per multum tempus, eius conſilijs maximè in omni re nixus, ita authoritatẽ eius indulgentia ſua, apud Polonos auxerat, vt illum magis quàm ſe reuererentur. Quem tantæ tranquillitatis & fortitudinis fuiſſe ferunt, vt mœrore vel gaudio; vultum nunquam mutarit, ſeuque res lætas, ſeu acerbas acciperet, tanta nihilominus oris, oculorumque ac totius vultus conſtantia fuit, vt quaſi perennis quædam ſerenitas illi ineſſe videretur. Princeps impiger & vegeto ingenio: abſtemius in omni vita, nihil præter aquam bibere ſolitus: in victu temperans, temporis perparcus, ita, vt ſupra menſam iudicaret, & reſponſa legatis daret: cæterum in venerem procliuior: in externos liberalis: ſuos verò metu magis, quàm beneficentia in officio continere ſolitus. Ipſe vtique nullum non militię munus obire, & ſiue quid fodiendum foret, primus fodere; ſiue pons flumini imponendus, aut extruendus agger, ſiue quod opus manum faciendum, aut labor ſubeundus, primus omnia occupare: tenuique menſa ac ligneolis poculis vaſiſque eſculentorum contentus eſſe; panem etiam temere factum comeſſe, ſeu maſſam in carbonibus decoctam. Omnia denique elegantiora aſpernari, & viliſſimis quibuſque, ac vel pauperrimo gregarioque militi facillimis vti. Iam autem quanto ſe viri præſtantes ſubmiſſius gerunt, tanto ſublimius attolluntur iudicio eorum, qui veræ magnitudinis indolem non externo faſtu, ſed internis animi dotibus æſtimare didicerunt. Statura autem fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam & genuas ſolitus, qui ſenio & aſſiduis laboribus exhauſtus, tandem apud Trocos ſpiritum exhalauit, & Vilnæ ſepultus eſt. Et hæc de rebus ab illo præclarè geſtis, quibus addo Epitaphium, quod ſepulchro ſuo inſcribi poſſit.

Quieſcit in hoc Sepulchro, Hoſpes Magnus Sarmatarum Bellator Vitoldus, Magni Ducatus Lituaniæ, Maximus Princeps, Iuſtitia, Comitate, Affabilitate, vigore animi, aſtu, peritia rei militaris, & rebus cõtra Tartaros, Ruthenos,

Moſcos,

Moſcos, & Crucigeros tam Liuonienſes quam Pruthenicos feliciter geſtis, omni æuo memorabilis. Et in quo noua Euangelij Lux, cum nouarum virtutum admirabilibus exemplis illuxit. Hic eſt ille Heros, qui in ſumma Barbariæ natus, ſumma pietate Chriſtianam Religionem complexus, pro ea aſſerenda, bella cum Barbaris continua geſſit: eiſque Glorioſus, reliquos quoque hoſtes, facilè deuicit, & Imperium Polonum ſubactis Prouincijs auxit: vnde etiamnum nomen par æternitati per cunctas Gentes obtinemus. Hic eſt, qui dogmatibus Chriſtianis imbutus, in omni vita abſtemius, nec niſi aquæ potor fuit: qui in victu, & veſtitu, ſemper temperans vixit, qui Viros fama meritiſque inſignes, Magna liberalitate fovit, & qui benefica in omnes voluntate, Sacrorum Myſtas præcipua veneratione coluit. Denique expletis LXXX. annis, plenus fide & operibus Chriſtianis, mortuus eſt in ſenectute bona, & in Regionem viuorum receptus Anno Salutis. M.CCCC. XXIX.

XXIV. *SIGISMVNDVS LITVANIÆ Dux.*

INter fratres Vitoldi, maximæ authoritatis Sigiſmundus Staroduben-ſium Dux fuit, qui & rei militaris ſcientia clarus, toties cum illo contra Crucigeros bellis tum in Pruſſia, tum in Liuonia interfuit, Moſcouiticaſque & Tartaricaſque expeditiones, ſæpiùs eius nomine adminiſtrauit. Hic igitur defuncto Vitoldo, à Rege Iagellone Magnus Dux Lituaniæ declaratus, imprimis Suitrigellonem germanũ Iagellonis, temerario auſu Principatum inuadentem, apud Oſmianos inſigni ſtrage profligauit; cæſis decem circiter millibus de exercitu eius, qui è Ruſſis, Tartaris & Liuonienſibus conſcriptus fuit, captiſque quatuor millibus. Vbi gratijs more Chriſtiano pro ſucceſſu Deo redditis, monumentum quoque victoriæ, templum ac Collegium Sacerdotum inſtituit: cumque victore exercitu Liuoniam ingreſſus, per duodecim dies eam populatus eſt, ingentemq; prædam inde aſportauit. Quod dum Teuthones vlciſci, & conſcripto numeroſo exercitu inuadere Lituaniam pararent, miſſo contra eos filio Michaële, fœdiſſima illos ſtrage ad Vilcomiriam affecit; vbi & Magiſter ipſe Ordinis, & Marſalcus eius cecidit, multique mortales cæſi, multi Suentæ fluuij vndis extincti, innumeri penè capti fuêre: & inter eos Sigiſmundus Rotus Sileſius, qui aliquando à Ioanna Ciarnicouio Polono captus fuerat, dum Pruthenicis Crucigeris auxiliares cohortes è Bohemia adduceret, ſubque militari ſponſione dimiſſus, quod contra Polonos arma ſumere amplius non debebat, fidem fregerat. Itemque Coributus Iagellonis frater, qui paulò ante è Bohemia per Pruſſiam reuerſus, Suitrigelloni ſe & Crucigeris cum ſuis legionibus coniunxerat: Quare vterque in profluentem demerſus; Suitrigello autem cum paucis Ruſſis effugit, & ex eo tempore Smolenſcum, Orſam, Poloſcum, Vitebſcum & Ruſſiam ferè omnem victoris fidem ſecutam, amiſit. Cæterùm Sigiſmundus, quia paulò durior ſubditis viſus, ideo facta conſpiratione nonnullorum procerum Lituaniæ, à Ioanne Duce Ciartorienſi, quadam nocte interfectus eſt. Habebat enim ille vrſam cicurem, quam ad menſam, & ad cubiculum familiariter admittebat. Ea non venerat illo eunte cubitum, vel de more emiſſa exiuerat, & à coniuratis alicubi concluſa erat. Eius igitur vnguium ſcalptura ad oſtium cubiculi aſſimilata, coniurati intromiſſi, Ducem nihil tale ſuſpicantem trucidarunt. Cui pro meritis, hoc breue Epitaphium ſubſcribamus.

Memoriç & Honori incomporabilis Herois Sigiſmundi Magni Ducis Lituaniæ, Pace & Bello Inclyti Principis. Qui perduellibus Regis Iagellonis Secundo prælio profligatis: contumacibuſque Liuonienſibus Marianis, ad internecionem penè, cum ſuo Magiſtro cæſis: per totum vitæ ſuæ tempus, nihil habuit antiquius, quam propè afflictam, nutantemq; Lituaniam, ſtabilire primo, deinde & ornare. Sed eum, proh dolor, hæc talia molientem, inopinatum coniuratorum ſcelus, crudeli fato, apud Trocos oppreſſit. Anno Chriſti incarnati. M. CCCC. XXXIX. Hoc volui vt ſcires, Viator, abi, & Vale.

XXV. *MICHAEL BVCIACIVS.*

EX quo Podolia Polonorum poteſtatem ceſſit, ſemper Buczacij optimis partibus addicti, & ſtrenui defenſores patriæ libertatis fuêre: pro qua, omnes ferè, ad noſtram vſque ætatem, in acie vitam cum Barbaris dimicando poſuêre: vix aliqui certè, præter vltimum (iam etenim nobilis huius familiæ vena, quæ numeroſos proceres, ac longa decora præferentes produxit viros, infelici hoc noſtro ſæculo, extincta eſt) numerari poſſunt, qui domi inter ploratus & lamenta mulierum, morbis aut ætate extincti fue-

fuerint. Tot enim tantiſque pignoribus ac meritis deuinxerunt fidem ſuam Reipub. vt piaculum ſit in dubium vocare, ipſorũ virtutem, conſtantiam atque integritatem. Et familia ſatis quidem cum viris & cognationibus, tum etiam fortunis abundans: ex qua Primus Michaël, poſt excuſſum iugum toti Roxolauiæ, à Magnis Ducibus Lituaniæ impoſitum, in fide & clientela Polonorum armis inclaruit. Et temporibus Iagellonis Regis, contra Suidrigellonem, fratrem eius perduellem, multa bello egregia opera edidit, & copias eius ad Cremeneciam clade ingenti affecit. Tum Valachos quoque è Suiatinenſi, Halicienſi, atque Camenecenſi agro cum ingenti præda reuertentes conſecutus, magna ſtrage fudit, prædamque excuſſit. Et copijs coniunctis cum fratribus Mirſilo atque Theodorico, partem magnam Podoliæ in poteſtatem Regis Vladislai redegit. Idem Fedconem Ducem Oſtrogium virum bellicoſiſſimum, pro Suidrigellone arma ſumentem, ſæpiùs repreſſit: & Suidrigellonem ipſum ſub tempus inaugurationis Regis Vladislai, Podoliam populantem, cum Vincentio Samotulio, qui Polonorum legioni præerat, iunctis cohortibus ſuis, aliquot ſecundis prælijs profligauit; & Theodoretum Ducem Neſuiſſenſem ab eo captum liberauit, cum quo ſtatim Bratislauia, Cremenecia, Sbaraſſum, Vinnicia, Chelmicum, Socolicia, atque alia oppida & munitiones, in ditionem Regi venerunt. Demum ingreſſis numeroſo exercitu Tartaris in Podoliam Anno trigeſimo octauo ſupra milleſimum & quadringenteſimum, regnante iam Vladislao Iagellonide, qui ad Varnam occubuit, quum eorum populationes Michaël prohiberet, & vt erat ingentis ſpiritus, aperto Marte cum eis decertaret, circumuentus cum paucis à multitudine concidit, & cum eo pleraque omnis nobilitas Ruſſiæ: ita, vt crebris deinceps excurſionibus Tartari, omnem illam regionem abſque metu peruaſtarent. (Adeò nulla eſt felicitas, quam non aliqua parte ægritudo contaminet.) Quum Duces omnes à nemine præterquam à Michaële ſuperari locorum iniquitates, & validiſſimos hoſtium interdiu noctuque acriter incumbentium impetus ſuſtineri poſſe faterentur. Illo autem ſublato, rari inuenti, qui irruentibus procellæ adinſtar barbaris, reſiſtere poſſent aut ſcirent. Idcirco ab eius ſchola, tanquam ab exacto militiæ Magiſtro, multi qui poſtea inclaruêre, ſummi Duces prodierunt, quum ea quæ ille proſperè geſſiſſet, apud hoſtes & ſocios pro documentis, & diſciplinæ præceptis haberentur. Hunc igitur tantum, ac tam magnum Heroëm, pro virtute & meritis, hoc ſepulchrali elogio condecoremus; ſiquidem magnorum virorum, & excellenti virtute præditorum laudes celebrare, apprime vtile eſt vitæ hominum & neceſſarium, vt & illis, quoad

fieri

fieri poteſt, pro meritis ſuis gratia referatur, & cæteri habeant, vnde virtutis & laudis exempla petant, & quo ad benemerendum de ſuis incitentur.

Dis. Man. S. Incomparabilis Heros, Michael Buciacius, Podoliæ Præfectus, hic condi ſua oſſa voluit. Cuius ſi virtutem ſpectes, Viator, ſatis vixit. Si ætatem, parum. Is ſiquidem profligatis toties Valachis, Tartaris, Incubatoribuſque Magni Ducatus Lituaniæ, quum Patrium, Auitumque Heredium defenſurus, cum Barbaris animosè conflixiſſet, circumuentus à multitudine, maluit in Prælio fortiter occumbendo egregiam ſui memoriam linquere, quam fugiendo turpiter Auitæ Gloriæ deeſſe.

XXVI. *THEODORICVS BVCIACIVS.*

POſt obitum Michaëlis fratris, cum quo ſub Iagellone Rege contra Suitrigellum Podoliam populantem, ſtrenuè ſæpiùs feliciterque pugnauit, tota militum manus ad Theodoricum concurrebat: cum quibus ille, arces Podoliæ nonnullos, à Michaële, Sigiſmundi olim Magni Ducis Lituaniæ, filio interceptas, recuperauit. Ob quam rem Præfectura Podoliæ, à Vladislao Iagellonide honoratus, flagrantis apud eum gratiæ, & præcipuæ apud ſuos Roxolanos dignationis fuit: quas dotes non auræ popularis aucupio captauit, ſed integritatis & fidei commendatione promeritus eſt. Ea enim morum actionumque moderatione fratrem ſummis nitentem virtutibus æmulabatur, vt cunctis ciuium ordinibus eſſet cariſſi-

mus;

mus; supraque cæteros ciues, ipsi duo fratres, dum adhuc in viuis Michaël esset, mirè concordes eminerent, & Rempubl. paternis auitisque artibus feliciter administrarent, vtpote qui veteres opes, maiorumque perpetuam inter ciues existimationem validis affinitatibus, numerosis clientelis, & noua denique virtute corroborassent. Cazimiroque Rege, post receptum iusiurandum Cameneciæ, à Petro Palatino Valachiæ, in Lituaniam abeunte, cum Tartari rapidi torrentis in modum, per totam Podoliam populabundi sese diffudissent, ferro & igni cuncta vastantes, Theodoricus cum expedita manu, impeditis in locis palatos aliquoties adortus, non leuibus incommodis affecit, multosque captiuos liberauit. Demum in Valachiam cum exercitu iussu Regio profectus, vt Alexandrum puerum deduceret, qui à patruo Bogdano principatu eiectus in Polonia exulabat, ad Nestrum signis collatis fortissimè depugnauit, & Polonis victoriam insignem peperit. Nisi fortunam eiusce diei obnubilasset cædes ipsius Ducis, qui fortissimè dimicando suis triste desiderium reliquit, sibi gloriam immortalem morte quæsiuit. Quem pro more nostro ob virtutem hoc breui Epitaphio condecoremus.

Theodoricus Buciacius à Vladislao Iagiellonide, quod impiger militiæ esset, Podoliæ Toparcha constitutus; compressa seditione Michaelis Ducis Lituaniæ, ad Dominationem adspirantis: cæsisque sæpius Barbaris Russiam incursantibus: Cum demum, Daciæ Regulum Alexandrum, iussu Cazimiri Regis, in Patriam deduceret: Parta de Bogdano, Polonis insigni Victoria; In ipso felicitatis cursu, Fato crudeli cecidit. Qui te amice Lector, de hoc Tumulo, plurimum saluere, & bene valere iubet.

bet. Tu vicissim, si pius es, ipsius animæ Requiem precare.

XXVII. *ZINDRAMUS MASCOVICIUS.*

QVantus & quam magnus animo Zindramus Mascouicius fuerit? vel hinc facilè quisque cognoscere poterit, quod in generali illa expeditione contra Crucigeros Prussienses, summa totius belli administratio ad eum, qui ensiferis tantummodò Cracouiensis, inter conciones suos honorem gessit, delata fuerit, vbi Rex ipse Iagello, non minus prudentia, quàm rerum bellicarum scientia præclarissimus adfuit, vbi frater eius patruelis Vitoldus astu militari, & tot reportatis de hostibus trophæis, celeberrimus, vbi Duces Masouiæ fortissimi, & totius Regni proceres fuêre, vbi denique omnis omnium Prouinciarum Regni Poloniæ nobilitas conuenerat. Inter hos ille omnes scientia rei militaris præstare inprimis videbatur, homuncio statura parua, sed ingenti spiritu, & ingenio solertiaque non vulgari: ex ea familia, cuius insigne sol est. Singulari humanitate, præterea & morum elegantia præditus, vt facile in amorem sui pelliceret, quicunque virtutem in pretio haberet. Et qui ita attollentibus cunctis procerum ordinibus annuit, vt se tanquam indignum excusaret, parumque idoneum ad periculosissimi belli vim sustinendam: sic vt amore patriæ potius, publicæque salutis & dignitatis causa, quam vllo ambitu regimen suscipere videretur. Huic igitur longè optimo atque fortissimo viro, qui gerendo bello cæteris omnibus aptior, & ad defendendam communem iniuriam, magnitudine animi, militarique ausu promptior censeretur, ad memoriam temporum hoc Cenotaphium erigamus.

Somno & securitati æternæ. Zindrami Mascouicij, Ensiferi Cracouiensis, totius Sarmatiæ Iudicio fortissimi. Qui ad Gruneualdum

in Borussia, ipso Rege assentiente, Imperator Exercituum Polonicorum à Legionibus acclamatus, eo victoriæ euentu, collatis cum hoste signis conflixit, vt Theuthonici quanquam eximiè fortes, amissis Ducibus funderentur: Cum de centum & quadraginta millibus Armatorum; quinquaginta cæsorum & XIV. captiuorum millia fuissent. Hic igitur tantus, & cum ijs quos mirata est antiquitas Heroibus comparandus, leui febricula sublatus, donec immortalitatem producat, sui reliquum huc asseruandum dedit. Tu qui Legis Manibus bene precare.

DOBESLAVS PVCHALA. XXVIII.

ZIndramo Mascouicio, qui ab illustri inusitataque animi magnitudine, & immenso ardore pugnacis ingenij, bello Pruthenico ad Grunealdũ, ab omnib⁹ delectus Imperator fuêrat, inter Tribunos haud postremus Dobeslaus Puchala erat; vir proceritate corporis, & forma digna imperio: sed animi dotibus, linguarum peritia, doctrineq; vt in illa ætate ornamentis, & multiplici re. ũ vsu longè præstantior. Hic cum Vitoldo Duce cõtra Tartaros, & cum Iagellone Rege contra Crucigeros Prussienses hastatorum alam sæpiùs ductabat: cui post Gruneualdensem victoriam Rex, Ripini & Bobrounicorum defensionem demandarat. Quum igitur Hermannus Liuoniensium Theuthonorum Magister non contemnendas copias militum è Germania & Boëmia in Prussiam adduxisset, ijsque apud

Golu-

Golubum relictis, ipse cum paucis Mariemburgum discessisset, Dobeslaus insidijs apto loco dispositis, paucisque qui hostem prouocarent præmissis, cum toto agmine à tergo eos adortus, cum in palantes inopinato prosilijssent, omnes ita perterritos, & incompositè fugientes oppressit, vt præter occisos, quadruplo maior numerus captiuorum esset, quàm eorum qui eos cæperant. Huic igitur ob virtutem & merita breue Epitaphium subscribamus.

D. O. M. cæterisque Diuis. Dobeslaus Puchala: impiger manu, Exercitusq; militia, Regis Iagellonis Tribunus. Cui fida Comes, & nusquam abscedens fortuna in Bellis aderat, fati importunitate, omnibus lugentibus, ætate florente sublatus: Heic sua Ossa condi voluit, donec dies Domini Magnus aduenerit.

XXIX. *ANDREAS BROCHOCIVS.*

CVm multi alij viri insignes, in castris Iagellonis Regis, bello Prussico fuêre, tum Andreas quoque Brochocius; Præfectus Brestensis, gente Ossorius; qui in Vngaria apud Sigismundum Regem, contra Turcas & Venetos militauit, & in patria rebus sæpiùs præclarè gestis, ingentem nominis sui gloriam, non inter ciues modò, sed & apud exteros etiam comparauit. Vir non magis fortis, quàm religiosus & pius. Erat is cum Matthia Labissinio Brestensi, & Ioanne Cosceleccio Inouladislauiensi, Palatinis, & cum omni nobilitate Cuiauiensi, relictus à Rege, ad præsidium eius oræ, cum imperio, ne quid à Crucigeris ibi moueretur. Indignati igitur Palatini sibi eum prælatum esse, domos cum clientibus suis, per speciem comparandi commeatus recesserant. Perstitit in castris Brochocius ipse, nihilque ea discessione deterritus, diligentius seruabat excubias quoquouersus dispositas. Fuerunt in præsidio Nessouiæ octingenti

equites

equites Crucigerorum, qui incautum Brochocium opprimere volentes, silenti agmine egressi, à tergo, vbi nullas rebantur seruari excubias, magno animo adorti sunt. Sed nostri correptis armis, ita eos adhortante Brochocio exceperunt, vt ad vnum ferè essent deleti vel capti. Idem in Grunealdensi prælio, quo plus sanguinis fusum constat, quàm duobus aut tribus antea seculis, legioni integræ præfectus, rem strenuè gessit. Et in oppugnatione Coualouiæ atque Golubensis arcis, inter primos semper pugnare visus est: ob idque à Rege Iagellonide plurimi æstimatus, & Cuiauiensium phalangi ductor datus erat. Nam præoccupare imminentiũ hostium consilia, munitiora loca castris antecapere, hostes imagine committendę pugnæ distinere, diuque ludificari, ac fatigatos demum longi laboris atque vigiliæ mora, ideoque vinci paratos, peracri repentinoque impetu inuadere consueuerat. Cui ob egregia in patriam merita hoc breue elogium apponamus.

Andreas Brochocius, ad virtutem à natura compositus, omnique liberali doctrina perpolitus, Sigismundo Romanorum Imperatori, & Vladislao Iagelloni, Poloniarum Magno Regi, ob res bello sæpius præclarè gestas, seruatamque in Castris ad Nessouiam, veterem Sarmatarum Disciplinam, carissimus, in ipso felicitatis suæ cursu, fato præcipiti ereptus, hic tegitur depositus.

XXX. *PETRVS SAFFRANECIVS.*

PRudenter sanè dixit, quisquis virtutem in viro nobili magis splendescere dixit: quod ipsum euenisse vel in solo Saffranecio videmus, cuius maiores, licentiore vita, labem nonnullam familiæ adspersrant, quam Petrus noster detergere cupiens, toto conatu ad virtutem contendebat; adeò, vt à Rege Iagellone vniuersæ Podoliæ Præfectus constitutus esset, vix trigesimum ætatis annum attingens; simulque Magister cubiculi Regij & Succamerarius terræ Cracouiensis ob præclaras animi dotes renunciatus. Ob quas quidem, & in illa expeditione Polonorum generali contra Crucigeros, ad Gruneualdum in Prussia, consiliarius datus fuit, magno illi viro Zindramo Mascouicio, ad quem summa administratio belli fuit delata. Cumque gnarus militiæ præ cæteris esset, ab eodem Rege prudentissimo Dux totius exercitus declaratus, ita se amanter pro Repub. vbique gessit, vt vel solus familiæ suæ dignitatem conseruare videretur. Et in Prussiam cum infestis copijs profectus, collatis ad Tucholiam cum hoste signis, ita strenuè decertauit, vt profligatis acie Crucigeris, castra insuper eorum diriperet; quin & quinque insignes eorum ductores captiuos ad Regem adduxit. Quamobrem Palatini Cracouiensis titulo ab eo cohonestatus, non fessam ætatem, non actos labores prætendebat, sed ad omnia Reip. munia promptus, etiam Silesios, Vladislao Iagellonide, ad Vngaricum regnum euocato, latrocinantes, bello persecutus domuit. Quem hoc breui Epitaphio decoremus.

Iouæ Optim. Maxim. & immortali memoriæ Viri clarissimi Petri Saffranecij, Palatini Cracouiensis, Podoliæq; Toparchæ. Ob vetusta in Rempub. merita, Vladislao Iagelloni, Regi Sapientis. Cunctisque bonis charissimi. Qui cum Exercitu in Prussiam missus, Theuthones Marianos, ad Tucholiam acie vicit, & Triumphi Insignia accepit. Tum quoque Vladislao Iagellonide, ad Vngaricum Regnum euocato, compressis Seditionibus, extinctisque Latrocinijs, Auitum decus recoluit. Sicq; Patriæ & Amicis vixit, vt eum vixisse non pudeat.

SCIBO-

XXXI. *SCIBORIVS SCIBORICIVS.*

LVdouico Poloniæ & Vngariæ Rege bello cum Venetis atque deinde cum Bulgaris decertante, cum alij complures Sarmatæ, sua stipendia merebant, tum Sciborius Sciboricius quoque, manu & ingenio promptus. Qui succedente deinde Sigismundo, & in illo bello contra Turcas apud Nicopolim, legioni præfectus, strenuè sese gessit: cumque omnes iam Christiani profligati essent, & Rex ipse naui conscensa, trans Danubium fugeret, ille vti semper ad latus Regis erat, quam nauium ingredi non posset, insequentibus Turcis, ita vt erat armatus in Danubium se proiecit, & enatauit in rippa aduersa, charusque postea Sigismundo Regi fuit. Adeo, vt cum à suis Vngaris captus, & in arce Soclossensi custodiæ traditus esset, Sciborius conscriptis è Polonia & Boëmia turmis aliquot, superiores Vngariæ partes & Morauiæ finitimas, in fide eius continuit, compluresque aduersariorum munitiones in suam potestatem redegit, quin & proceres nonnullos captiuos in vinculis habuit. Cumque neruo belli deficeret, à Vladislao Iagellone Poloniæ Rege, decem millia marcarum mutuo accepit; proque his nouam Marchiam, quæ simul cum veteri, hereditario iure ad Sigismundum pertinebat, ipsi oppignorauit. Quare dimissus è custodia Sigismundus, Sciborium deinde maiori honore prosecutus & amore, Transyluaniæ eum Palatinum fecerat, & eius opera contra quosuis hostes & consilio fideli vtebatur. Fuerunt & alij complures Poloni in aula & militia Sigismundi, vti Zauissius cognomento Niger, & Ioannes Farureius, Garbouij fratres germani gente Sulimæi, Thomas Calscius Roseus, Albertus Malscius Nalencius, Dobeslaus Puchala Vienauius, Ioannes Broglouius Grimalius, & Scarbicus Gorscius Habdacus: qui propter præclara merita sua, non contemnendas facultates & possessiones in Vngaria, beneficentia eius Regis adepti erant. Qui omnes vbi regem suum Vladislaum Iagellonem ad Prussicum bellum proficisci, & Sigismundum ad violandum cum eo fœdus pronum esse senserunt, relictis possessionibus, & ingentibus Sigismundi pollicitationibus repudiatis, memorabili exemplo Vladislaum secuti sunt. Nec male eis postea respondit Vladislai gratitudo & liberalitas. Solus Sciborius manserat in Vngaria, missusque fuerat

fuerat in Legatione ad Crucigeros à Sigismundo, pacem componere cum Vladislao cupiens, tempore Gruneualdensis prælij: sed nihil effecit. Reuersusque ad Regem suum multa cum illo bella gessit tum contra nominis Christiani hostes Turcas, tũ cõtra rebelles Imperatori Romano. Quapropter viro tam egregio cum pyramides & colossos statuere non possumus, saltim hoc breue Epitaphium erigamus.

Qui legis, disce ex me, Viro forti vbique Patriam esse. Ego Sciborius Sciboricius, Gente Ostoius, sub Ludouico Rege, Patrium solum linquens in Vngariam commigraui; Sigismundique Imperatoris castra secutus, Honores ab eo tantos pro meritis tuli, vt anteponi mihi nemo, comparari vero vix quisquam possit. Principatu siquidem Transyluanico donatus, Consilijs eius non interfui solum, sed & præfui: Exercitibusque omnibus imperaui, ac Trophea ex Hostibus deuictis retuli. Nunc, heu sortem humanam, calcor ab omnibus, tectus hac humo.

ZAVISSIVS NIGER. XXXII.

ZAuissius Niger, Præfectus Scepusiensis, in militia Sigismundi Cæsaris diu in Vngaria commoratus, interfuit & Turcicis & Italicis bellis. Verum quum Sigismundus contra Vladislaum Iagellonem Poloniæ Regem machinaretur expeditionem, bello Prussico cum Crucigeris tum distentum, ille quamuis plurimas possessiones à Sigismundo in Vngaria habuerit,

rit, cum alijs fortissimis viris commilitonibus suis, in Poloniam redierat, nolens contra patriam nefarium quidquam audere. Igitur à Iagellone magni æstimatus, & bello Prussico phalangem ducens intererat, & ad Concilium Constanciense, atque Galliæ & Angliæ reges, tum & ad ipsum Sigismundum Cæsarem, honorificas legationes obiuit. Cumque apud Cæsarem esset, quem Boëmi tum armis persequebantur, noluit deesse veteri domino suo, sed quamuis Oratoris officio fungeretur, rem pro illo contra rebelles subditos fortiter gessit, à quibus vertente se fortuna, in expugnatione oppidi Gora, captus & diu detentus fuit. Et tandem dimissus iterum cum Sigismundo contra Turcas iuit: sed is euentu non satis prospero bellum illud apud Golubeciam gessit, & priusquam ad congressum cum hostibus veniret, retro se, transmisso raptim Danubio, cum magna parte exercitus ad tutiora loca in Transyluaniam recepit, proditis hosti reliquis, quos naues capere non potuere, in quibus fuit & Zauissius Niger: Qui submissum à Sigismundo lembum, ascendere noluit, malens fortiter occumbere, quàm turpiter socijs proditis fugere. Quare adacto calcaribus equo, in confertissimos hostes irruit, & multis præclaris operibus editis, ad extremum conglobatis circa eum Turcis, viuus captus: & cum pro magno munere ad Tyrannum, vir robore corporis, oris dignitate, & auratis armis insignis duceretur, controuersia inter duos barbaros orta, quod vterque captiuum sibi vendicabat, ab imbecilliori desecto capite interfectus est Anno 1428. cui ob virtutem & merita in rem Christianam hoc sepulchrale Elogium, ad memoriam temporum subscribamus. Qui vi bellica, castrensi apparatu, magnitudineque animi, non suæ modò, verùm superioris etiam ætatis Duces, sic antecessit, vt summæ gloriæ fastigium assecutus crederetur, nisi eum arduis & audacibus innixum consilijs, immoderataque fortitudine quæque aspera aggredientem, turbulenta & insolens fortuna perculisset.

Seruatori Deo Pacis custodi. Ioannes Zauissius, cognomento Niger, Præfectus Scepusiensis: Vir in omni Vita, Belli Pacisque artibus clariss. & sempiterna memoria digniss. Hic quiescit, Viator, qui à puero fere Ludouici Regis

gis Castra secutus, supra ætatem Rerum & Linguarum vsu, in Aula sua inclaruit. Deinde Sigismundo Cæsari addictus, Italicis, Boemicis, Vngaricis, Turcicisque Bellis, Militum Tribunus interfuit. A quo possessionibus ampliss. remuneratus, ne impia arma contra Patriam sumeret, æternum memorando exemplo, omnia deseruit, & cum Iagellone Rege suo, in Prussiam contra Crucigeros iuit. Vbi re ad Gruneualdum prospere gesta, Legationes etiamnum pro Repub. honorificentissim. ad Concilium Constanciense, Galliæ & Angliæ Reges, atque Sigismundum Imperator. cum laude obiuit. Cumque eodem ipso, iterum contra Turcas, parum felici omine profectus, ad Golubeciam in acie occubuit. Cum desertus ab omnibus, turpe fugere existimaret. Tu qui transis, dic ossibus pia verba, si es pius, & Patriæ similes Heroas, quamplurimos opta.

IACOBVS COBILENIVS. XXXIII.

QVidni producam in hunc Martium Campum & Iacobum Cobilenium? qui bellis sub Cazimiro Magno, & Ludouico, Regibus Poloniæ, assiduis exercitatus, eo honoris apud Iagellonem Prudentissimum

Principem processerat, vt in auxilium Sigismundo Imperatori, cum quinque millibus æquitum Polonorum contra communes Christiani nominis hostes Turcas mitteretur: qui in Prussicis etiam expeditionibus, semper integræ legioni præerat. Et cum Vitoldo Duce bellicosissimo, in Moscouia contra Nouogrodenses militum Tribunus fuit, vnà cum Ioanne Cizouio, Mesciugo Scrinnio, Nicolao Brezio, Zico Cadlubio, Matthia Vscio, Ioanne Sciecocinio, Io. Lopata Calinouio, Iacobo Precora Morauiano, & Nicolao Sepinio, qui singuli singulas cohortes ductabant sub Imperio suo. Idem postea in auxilium Sigismundo Duci Lituaniæ missus, contra Crucigeros Liuonienses, insigni eos strage ad Vilcomariam profligauit, occiso in acie ipso Magistro illorum, & Marsalco Religionis. Hanc in eo perpetuam bellicæ laudis existimationem, splendidissimè cumulabant, literarum honos, & magnificentiæ studium; quo ciuibus semper charus, meruit vt etiam defuncto memoriam erigamus.

Hospes, quem cernis Lapidem, Iacobo Cobilenio, Gente Grimalio, Præfecto Sanocensi, Viro Toga & Sago præclariss. positus est. Qui sub tribus Regibus Poloniæ Cazimiro scilicet Magno, Ludouico Hungaro, & Vladislao Iagellone Exercitus militia. Tribus Bellicosiss. principibus, suppetiatum cum Polonicis Cohortibus missus, Vitoldo nimirum contra Moscos, Sigismundo Duci Lituaniæ, contra Liuonienses, & Sigismundo Imperatori contra Musulmanos Turcas, rem prospere vbique gessit. Et in Patriam Trophæa retulit. Nunc, heu, vermibus ipse præda factus. Hospes Sospes abi.

XXXIV. *NICOLAVS MICHALOVIVS.*

INter alios Regis Iagellonis Duces, etiam Michalouius locum non postremum tenet, qui bellis Pruthenicis atque Vngaricis, sub Ludouico Rege exercitatus, apud Vitoldum Ducem, in Moscouitas & Tartaros postea alam ductabat, non æmulatione, non odio, aut priuatis adfectionibus obnoxius, sed publico bono, famæque immortali intentus, atq; ob id Vladislao Iagelloni Regi magnopere carus, & in Comitijs Colensibus, generali totius Poloniæ expeditioni Dux datus (Rex enim ipse Iagello confectus senio oculis caligabat, nec iam belli munia per se ipse obire poterat) Pomeraniam vniuersam longè lateque vastauit, Dersauiaque incensa, supra decem millia captiuorum habuit. Deinde alias munitiones Crucigerorum expugnauit: quibus & pacem postulantibus dedit facili negotio, & cum victore exercitu Pysdros ad Regem redijt. A quo pro meritis multis honoribus auctus; à nobis quoque hoc breue Elogium accipiat, vt generosi iuuenes, quos maiorum imagines, aut impetus animi, & viuida vis ingenij spondent ad Rempub. ituros, vel hinc ad virtutem excitari possint.

Æterno Luminum Patri. Sepultus est hic, Strenuus Sarmatarum Bellator, Nicolaus Michalauius, Gente Roseus, Castellanus & Præfectus Cracouiensis, qui Moscouiticis, Tartaricis, Bulgaricisq; Bellis Exercitatus, Generali totius Poloniæ expeditioni, contra Theutones Prussienses, præfuit, sub Vladislao Iagellone Rege; cuius Disciplinæ diligentissimus obseruator, multis fortibus factis, constantis atque impigri Ducis famam est consecutus.

IOANNES OLESNICIVS. XXXV.

ADijciamus Ducibus Iagellonis Regis & Ioannem Olesnicium, claris maioribus ortum, militiæque scientia clarum, qui ab illo sapientissimo Rege Vilnæ præfectus, magna cum dexteritate commissam sibi prouinciam administrauit, venienteque cum Crucigeris Prussiensibus Vitoldo, vrbem ne receptaculo esset hostibus igni cremauit, septisque ex viridi robore extructis aditum ad arces impediuit. Et hostes ad ædem Virginis Matris intra mœnia vrbis, quam Franciscani Sodales obtinent, statiua sibi facientes, impetu in eos facto profligauit, nulloque de suis amisso in arcem se recepit. Et omnibus illis temporibus, quibus Vitoldus apud Theuthones manens in Lithuaniam excursiones faciebat, multus vbique, & valde conspicuus, summa fide, felicique prudentia bellum administrauit: quosque Regi ob Vitoldum auersos animi cognouerat, cædibus & incendijs perpopulatus in fide continuit. Erat enim natura ingenio præditus apprimè pugnaci, & feruido, mirabiliterque solerti ad præcauendos hostium dolos, tendendasque insidias. Quapropter viro tantis virtutibus prædito tamque benè de Rege & patria merito, hoc breue Elogium pro more nostro subscribamus.

Lector Aueto. Ioan. Olesnicius, Gẽte Dembnius, omnibus optimis & disciplinis & moribus, ita ornatus, vt eius ingenium, comitatem, & rei Bellicę prudentiam, nulla satis æquare possit admiratio. Ac ob id fragrantissima apud Iagellonem Regem Gratia, Vilnæ & circumiacenti Prouinciæ, cum præsidio præfuit Vitoldumque Bellicosissimum Ducem, & Crucigeros ab Obsidione fortiter repulit. Atque demum ipse

Hominem exuit, Anno ætatis LIII. Hac tumulatus humo.

XXXVI. *SPITCO MELSTINIVS.*

EOdem Iagellone regnante, floruit bellicis artibus Spitco Melstinius Palatinus Cracouiensis, ac Dominus inferioris Russiæ, seu Podoliæ, quam ei Iagello Rex, frustra reclamante regina cum proceribus, donârat: siue adeò certo pacto obligarat, ea lege, vt accitus à Rege ad quoduis bellum cum auxilijs præsto esset. Is contra Vladislaum Ducem Oppoliensem exercitum magno cum applausu popularium duxit, & intra septem dies Crepiciam, Velunum, Ostressouiam, Brezniciam, aliasque complures arces in deditionem accepit, reliquas expugnauit. Solam Boleslaueciam, loco arteque munitam, septem annis continua obsidione pressit. Et pro meritis eadem ipsa, atque alijs omnibus, captis ex hoste arcibus & Oppidis donatus, Lublinecia videlicet, Strelce, Domarazo, Olesno Gorzouo, atque alijs compluribus, familiam suam opibus & trophæis auxit. Idem cum Vitoldo Duce, contra Tartaros sæpiùs prosperè bellum gessit: ac demum ad Borysthenem ab ijsdem oppressus, cum acies nostrorum inclinari cœpisset, inter confertissimos hostes illatus, fortiter pugnando occubuit. Vir doctrina & vsu maximè exercitatus: vtpote qui castrensibus vigilijs, summum decus bello adeptus, in ocio demum vberrimam ex literis laudem appeteret. Quem pro instituto hac breui Epigraphe condecoremus.

Pietati & Memorię. Fortissimi Viri Spitconis Melstinij, totius Podoliæ in Russia, & maioris partis Ducatus Opoliensis in Silesia, possessoris, Palatini Cracouiensis. Qui maioribus opulẽtiss. ac potentiss. editus, in omnibus fortunæ euentibus, totus ex se pendens, aureaque mediocri-

tate

tate contentus, ſuos non minus Virtutum ſuarum Exemplo, quam Victorijs & Triumphis honeſtauit.

XXXVII. IOANNES MELSTINIVS.

EIuſdem familię, ſed paulò ſuperioris ætatis Ioannes Melſtinius fuit, vir grauis & prudens, & amans Reipub. qui pro Vladislao Loctico, contra Boëmos Regnum Poloniæ poſſidentes, ſæpiùs ſtrenuè pugnauit. Et in Sileſiam Regem cum ſuis cohortibus ſecutus, ad Coſtinum, magna fortitudinis ſuæ præbuit exempla. Cazimiroque Magno, poſt obitum patris, ſceptra Poloniæ capeſſente, iuuenilium eius conſiliorum, datus fuit à toto procerum conuentu moderator: cuius ille conſilio, diligenter vbique prędones & infeſtatores publicarum viarum perquiſiuit, exquiſitiſque ſupplicijs affecit: atque ſic domeſticis malis oppreſſam patriam liberauit, priuſquam externis manus admouiſſet. Cum itaque Boleslaus Ruſſiæ Dux veneno extinctus eſſet, & Cazimirus Melſtinij ſuaſu cum exercitu, ad occupandam prouinciam, & expugnandam Leopolim iuiſſet, Melſtinius non modò conſilio eum ſuo vbique iuuit, ſed etiam manu ſtrenuus, cunctis exemplo præfuit: & Ruſſia tunc Poloniæ in toto ſubiecta Cazimiro ceſſit, & in formam prouinciæ redacta eſt. Quapropter viro tam optime de patria merito hoc breue Epitaphium ad poſterorum imitationem ſubſcribamus.

Ioannes Comes Melſtinius, Caſtellanus Cracouienſis, vigore animi, clientelis, atq; opibus, ſub Vladislao Loctico, & Cazimiro Magno, Regibus Poloniæ, Procerum potentiſs. fui. Atque his ſuffultus, contra Pomeranos, Ruſſos, Sileſios & Bohemos, Arma pro Patria indefeſſo animo geſſi, multiſq; Illuſtribus Victorijs quæſitam Gloriam, poſteris meis reliqui. Profui quibus potui. Obſui nemini. Tandemque Vermium eſca factus, Hic ſepeliri volui. Valete Poſthumi.

DOBROGOSTIVS SAMOTVLIVS. XXXVIII.

INter plures alios Duces Loctici Regis, numeratur & Dobrogoſtus Samotulius, cognomento paruus, Thomislai Palatini Poſnanienſis filius, magna virtute & genere præſtans, qui Ioannem Biberſteinum Comitem, cum exercitu in Poloniam, à Henrico Duce Glogouienſi miſſum, inſigni clade affectum Loctici ditionibus eiecit: Poſnaniamque ab eo, cura proditorum captam, & firmo præſidio munitam recuperauit. Contra Marchionem Brandeburgenſem Pomeraniam vnà cum Crucigeris inuadentem, multoties, ſigna regia ſecutus, pugnauit: & in Sileſia cum eodem Vladislao Loctico expeditionis conſiliarius deputatus, cum paſſim virtutis & fortitudinis ſuæ præclara exempla dedit, tum in expugnatione Coſteni, munitiſſimæ arcis, inter ſtagna & paludes ſitæ. Idem ſub Cazimiro Magno contra Ruſſos, & ſub Vladislao-Iagellone contra Tartaros, in exercitu Vitoldi, equitum alæ præfuit. Cumque ſuis cohortibus interfuit prælio illi Grunevaldenſi magno, vbi Crucigeri Pruſſienſes ad exitium pænè gentis cœſi fuerunt. Quos ille ipſe iterum ad Coronouiam profligauit, cæſis octo millibus ex eis: in qua quidem pugna ter reſpiraſſe defeſſæ partes vtræque à ſcriptoribus memorantur. Hac igitur victoria Samotulius procerum omnium longè clariſſimus euaſerat, vtpote qui perpetuo tenore vitæ domi & foris ſplendidus, erga milites liberalis, in hoſpites vel inconſultè munificus, authoritate, gratia, opibus reliquos omnes Poloniæ Dynaſtas anteiret. Cæterum quia ſuum cuique decus poſteritas rependit, ad memoriam æternam Epitaphium illi in hunc modum aſcribamus.

Parua hæc vrna Viator, Magnum maioris Poloniæ Heroem claudit. Dobrogoſtium Samotulium, Cognomento & Statura paruum, Caſtellanum Poſnanienſem, Gente Nalencium. Raro & amœno ingenio Virum. Et in quo nulla Ciuilis, Bellicæque Virtutis ornamenta defuerunt. Hic ſub tribus Poloniæ Regibus, Vladislao Loctico, Cazimiro Magno, & Vladiſlao Iagellone, omnibus quotquot euenerũt expeditionibus interfuit, & ad ipſos exactæ ætatis terminos, magna cum Cura & Gloria Legionibus præfuit, reportatis toties de hoſte Triumphis. Bene vale quiſquis es, vbi ſimiles Heroas Patriæ precatus fueris.

XXXIX. *ALBERTVS COSCELECIVS.*

ADſcribamus Ducibus Loctici Regis, Albertum quoq; Coſcelecium Palatinum Breſtenſem. Qui in Senatum cooptatus multa præclara virtutum ſuarum exempla poſteris reliquit; fide & induſtria meritus, vt maxima quæque negotia tuto ipſi committi poſſint; educatuſque militiæ ab ineunte ætate ſub diſciplina Cazimiri Cuiauienſium Ducis, Prutheniciis bellis, multa potius egregiæ laudis, quàm bellici quæſtus decora domũ retulit. Verum ſub Vladislao Loctico, multo luculentiora ſpectatæ virtutis & fidelis operæ præmia promeruiſſe viſus eſt, prælio præſertim illo ad illo Radiouiã facto, vbi viginti millia Crucigerorũ cæſa fuerunt. Qui cum ante paulò florentiores Poloniam Maiorem peruaſtarent, Coſcelecius Pa-

coſſum

coſſum arcem, non modò à vi illorum egregiè tutatus eſt, ſed etiam eruptionibus factis, non paruis incommodis palantes affecit. Quin & anno ſequenti Culmenſis terræ pagos ferro & igni depopulatus eſt; volentibuſque vice verſa Crucigeris Cuiauiam infeſtis cum inſignis inuadere, fortiter obſtiſtit; & Boëmos ſubſidio illis venientes multis in locis cæcedit. Sed ad Poſnaniam præcipuè, quam obſidere iam cœperant, & cuniculos ad vrbem dirigebant. Ergo tam ſtrenuo viro, ob merita & virtutem; hoc exiguum Cenotaphium more noſtro erigamus.

Oſſibus & Memoriæ. Alberti Coſcelecij, Palatini Breſtenſis, Multa morum elegentia & ingenio Inluſtri qui Staturæ Dignitate, Celebri Facũdia. Liberalique Vitæ ſplendore, ſuæ ætatis Megiſtanum, famam obſcurauit. Militarique laude ſub Vladislao Loctico Rege vſque adeo floruit, vt poſt egregias Victorias profligatis ſæpe Crucigeris atque Boemis. Dux Bello ſtrenuus & fortunatus haberetur.

XL. *VINCENTIVS SAMOTVLIVS.*

NOn poſſum, nec debeo tacitus præterire, virum ampliſſimæ dignitatis, & eximiæ virtutis, prudẽtiæ ac ſapientiæ Vincentiũ Samotulium, Caſtellanũ Medirecenſem: cuius in obeundis arduis muneribus fidẽ, ſolertiã, & magnitudinem animi, nulla vnquam obſcurabit obliuio. Is quum fatali quodam motu concuſſæ fuerunt impauidæ mentes Crucigerorum, ad excutiendam veterem erga Reges Poloniæ venerationem, primum turmas, deinde legiones integras contra eos in Pruſſiam ſub Vladislao Iagellone ductabat. Demum Vitoldo in Moſcouia bellum contra Nouogrodenſes gerente, totius exercitus Dux ab illo conſtitutus fuit. Subque tem-

pus

pus inaugurationis Vladislai Iagellonidis, quē Suitrigello Lithuanus, Podoliam infestaret, ac Theodoretum Nesuisensem Ducem cæpisset, iunctis cum Michaele Buciacio copijs, repressit audaciam eius, & Theodoretum liberauit, occisis quamplurimis de exercitu eius. Et dum Vladislaus Iagellonides ad capiendam coronam esset ab Vngaris vocatus, præmissus cum Andrea Tencinio, & Ioanne Sennenio, Budam Vngariæ metropolim in suam potestatem redegit, & omnibus Turcicis bellis interfuit, Visegradensi Præfectura, (vbi corona & ornamenta ad cæremoniam coronationis pertinentia religiosè asseruabantur) pro meritis à Rege decoratus, cumquo simul ad Varnam vitam in acie posuit, & quid? nisi religioni donauit.

Vincentius Samotulius, Castellanus Medirecensis, cæsis sæpius Moschis, Lithuanis, Crucigeris, & Turcis, amplissimis possessionibus, quas Magni Iagellones contulerant, inter Ciues Hunniæ & Sarmatiæ præeminebam. Quibus vt aduenticijs, in limine fati spoliatus, mea tantummodo mecum porto. Reliquorum autem, vix sola fama remanet. Tu quisquis es, qui hæc capis, si pius es, deprecare Deum pro me.

ANDREAS TENCINIVS. XLII.

QVamuis plurimos alios, toga & sago viros illustres, hæc inclyta vetustissimaque familia protulerit, quorum nomina cōsecrata erunt perennitati donec in pretio virtus erit; huic tamen martialium virorū cathalago, duos tantum modò, fama meritisque insigniores, inserere placuit. Andream videlicet Palatinum, & Andream Castellanum Crac. quos hodie nominare possumus inter præcipuos Sarmatici orbis bellatores. Ac primum

primum quidem Palatinum, Ioannis Castellani Cracouiensis filium, apud Vladislaum Iagellonem, post prælium Gruneualdense, validissima gratia, quòd non solum ibi cum equitum suorum ala fortissima interfuerit, sed etiam cum Vitoldo Duce contra Moscouitas & Tartaros, integras legiones duxerit. Quo quidem bello summam laudem rebus gestis est consecutus; ob idque pleniorem, quod singulari certamine Scytham superbè ostentātem vires, & prouocantem, vtroque inspectante exercitu, confecisset. Et tandem in Senatum adscriptus, complures pro patria legationes, ad diuersos principes honorificentissimè obijsset. Cum autem Vladislaus Iagellonides sceptris paternis positus, etiam ad Vngariæ regnum fuisset euocatus, Andreas cum suis cohortibus eum sequutus, cum egregiam vbique ac fidelem illi operam præstitit, tum Tirnauiam ab incursionibus hostilibus fortiter tutatus, etiam Præsburgensem agrum populatus est: reginæq; Elizabethæ, (quæ regnum sibi post obitum mariti Alberti Austriaci vsurpabat) exercitus clade ingenti afflixit. Iterumque cum auxiliaribus copijs, ab ordinibus Regni Poloniæ, in Vngariam missus, nequiquam prohibente Iscra cum suis Bohemis, Budam ad regem Vladislaum peruenit, & eam Vngariæ partem, quæ Austriæ finitima est, rege iubente tutatus est, liberata obsidione, arce Posoniensi: alijsque munitionibus, quæ reginæ præsidijs tenebantur, partim per vim, partim per deditionem receptis, & Vlrico Ciliæ Comite capto. Cui ob egregias animi dotes & in patriam merita, hoc breue Epitaphium subscribamus.

Andreas Comes Tencinius, Palatinus Cracouiensis, æternitate Nominis Dignissimus Senator, heic situs est. Cuius inuicta vis animi, & fortia facta, Tartaricis, Pruthenicis, Moscouiticis, Turcicis & Vngaricis bellis enituere. Hominem mors extinxit Anno ætatis LXIII. sed extinxit vno in Homine multas Virtutes, Artis Bellicæ scientiam Eximiam, Illustrem facundiam, perpetuam in omni vita moderationem:

Denique Pietatem in Deum, Humanitatem in omnes homines mirificam: sed in viros Militares præcipuè, ingentem liberalitatem: quæ sublata ex oculis vigebunt in animis memoriaque multorum.

ANDREAS II. TENCINIVS. XLIII.

EIusdem nominis & seminis floruit sub Sigismundo I. Castellanus Cracouiensis. paruus quidem ille corpore, sed ingenio ac eloquentia summus: ob amplissimam & haud scio an maximam in regno Poloniæ familiæ dignitatem, tum verò ob canam prudentiam dignus qui huic albo Heroum Sarmaticorum inseratur. Is enim sub Cazimiro, Alberto, & Alexandro, Regibus Poloniæ, varijs bellis exercitatus, non destitit & sub Sigismundo, gentile decus magno animo capessere. Dumque Solimanus Turcarum Imperator, Austriæ Viennam, ingentibus copijs oppugnaret, collectis tribus equitum Polonorum millibus, vel non rogatus. Ferdinando Cæsari vltrò suppetiatum iuit; & ad confinia Morauiæ, duodecim millia palantium Turcarum nactus, in fugam omnes facilè coniecit. Cæsisque quamplurimis, metum Tyranno ipsi, obsidionem tunc fortè soluenti adeò iniecit, vt properis itineribus, & vltra solitum Budam reuertens, omnem grauiorem armaturam amiserit, Tencinioque extremum agmen assiduò carpenti præbuerit occasionem ad comparanda trophæa, quæ æternùm & gentem Polonam & domum Tenciniam exornarent. Quapropter his tantis eius virtutibus fauentes, ad sequentis æui memoriam, Cenotaphium scribendo Epitaphio erigamus.

Andreas Tencinius, Castellanus Cracouiensis, animi magnitudine, consilij solertia, Bellicis virtutibus, ac rerum gestarum gloria, Dux nemini

mini veterum Secundus. Hic tegitur depositus, qui vt erat magnis ausis promptus, cum dimidia phalange, numerosissimos Turcarum Exercitus aggressus, ingentem sibi, atque Polonis Laudem, Cęsari vero Germanico Victoriam peperit. Abi Viator, & salutis tuæ memor viue, & Vale.

XLIV. SANDIVOGIVS OSTROROGEVS.

PRodeat in palæstram bellicosissimorum virorum & Ostrorogeus Comes in bello illo Prussico cum Crucigeris, sub Iagellone Rege, consiliarius datus Zindramo Mascouicio Ensifero Cracouiensi, ad quem summa totius belli administratio, ad Gruneualdum delata fuit. Cum quibus Sandigouius noster iterato quoque ad Coronouiam pugnauit, adiutus à Dobrogostio Samotulio, & Martino Labissinio, pugnacissimis viris: qui omnes voluntarij militarunt cum suis cohortibus, solo patriæ amore ducti, ita, vt octo millia ex hostibus cæsa tunc numerarentur, duxque ipse illorum Michaël Cochmeister, cum non exigua turba captus fuerit. Qui postea dimissus, summus Crucigerorum magister fuit creatus. Similiter faciente rege expeditionem cum maioribus Polonis in Pomeraniam, Sandiuogius vni legioni præfectus, nouum oppidum vi cæpit & exussit, Pomeraniamque vniuersam, omissa arcium & munitionum oppugnatione longè lateque ferro, & igni vastuit. Itemque alia expeditione, maioribus Polonis & Boemis stipendia regia merentibus, præpositus, nouam Marchiam, Crucigerorum imperio subiectam, crudeliter diripuit; duodecimque oppida munita, partim vi, partim per deditionem accepit: & sic totam illam prouinciam in potestatem Polonorum redegit. Mortuo denique Iagellone Rege, cum ex filijs eius alter Poloniæ Rex, Vladislaus nimirum, factus esset; alter, id est Cazimirus, ad Bohemicũ regnum, post obitum Sigismundi Impe-

Imperatoris,vocaretur, Sendiuogius cum Ioanne Tencinio, Sendomiriensi Palatino, duobus equitum millibus præfectus in Boemiam missus ad abeundam possessionem regni, nomine Cazimiri, cũ accepisset, ab altera parte Boemorum, Albertum Ducem Austriorũ, regem iam esse creatum, collectis adhærentibus Boemis atque Silesijs ad quatuordecim agros longè lateque vastabat, & multa leuia prælia cum Alberto, vario marte gessit, donec iussu regis sui reuersus in Poloniam, ad proceresque Vngariæ legationi destinatus, cæptam expeditionẽ omittere cogeretur: vir decora proceritate, & cuiuslibet splendidi muneris capax: & qui ad bellum illud prisca seueritate & disciplina militem suum firmauerat. Ergo tãto & tam magno viro, solito more nostro, conueniens Epitaphium subscribamus.

Sandiuogius Ostrorogeus, Palatinus Posnaniensis, vi corporis insignis, prisca virtute, & Patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama: Annos natus circiter sexaginta, cum ob Bellicos pro Patria Labores, ęternis Scriptorum monumentis insertus, in arcem immortalitatis sibi Gradum fecisset, Homo esse desijt.

DOBROGOSTIVS OSTROROGEVS. XLV.

PRuthenicis bellis sub Iagellone Rege, vnà cum Sandiuogio fratre Dobrogostius exercitatus, cum Vitoldo Duce primùm contra Tartaros, magna cum cura, & mox gloria, cui principium illa militia fuit, equitum alas ductabat: Deinde Vladislao Iagellonide ad regnum Hungariæ euocato, integræ phalangi præerat, maxima cum laude sua. nam quid in eligendo belli campo, quid in ordinanda acie, quid in subsidijs disponendis, quid in procurrendo concurrendoue, aut excipiendo hoste, bene aut secus fuerit factum: quis leuis, quis grauis armaturæ fuerit vsus: equitesne an pe-

an pedites ad summam operis plus momenti attulerint, ceu Xanthippus aliquis Tacticus edocebat. Et licet in concilijs non rhetoricabatur, nihilominus efficax alliciendis mentibus fuit, & artificio colligendæ beneuolentiæ plurimùm pollebat. Ac propterea à Vladislao Iagellonide, ad Amurathem, Belgradum oppugnantem cum Luca Gorcensi legatus fuit missus: sciebat enim Rex, præter singularem, vti dixi, peritiam rerum bellicarum, manu etiam strenuum, ac sermone promptum fuisse. Qui tamen rebus infectis ad Regem redierat, à Tyranno per septem menses Smiderouiæ detentus. Atque inde patriam reuersus, iterum bellis Pruthenicis sub Cazimiro Iagellonide interfuit. Erat enim ingenio perspicaci, erectoque ad laudem, & imperij militaris maximè cupido, & quæ erant ad id opportunæ artes, multa ciuili prudentia, & astuta lenitate temperato. Quem quidem pro meritis breui Epitaphio ornemus.

Dobrogostius Illustri Ostrorogeorum Comitum Familia natus, sciens contemptu famæ contemni virtutes, animo semper ad magna & ardua erecto fuit. Reique Bellicę summa peritia, & compta facundia, sub tribus Poloniæ Regibus clarus, non ad conterminos modo Populos, sed ad posteros etiam, & qui nunc viuimus, virtutum suarum famam extendit. Cuius defuncti heic iacent ossa, Anima vero vbi in Vita præparauit.

XLVI. *STANISLAVS OSTROROGEVS.*

SEquitur & tertius eiusdem familiæ Heros, Stanislaus Ostorogeus Palatinus Calissiensis: vir acri & elato animo, & qui cum Vladislao Iagelloni-

gellonide in Hungariam profectus, Iaurinum munitissimam arcem, cum parte copiarum à rege missus expugnauit, subque Cazimiro fratre eius, bello Pruthenico clarus præ alijs, quod ei literarum & præcellentium artium decus cordi fuerit, cunctasque clarissimarũ gentium historias auidissimè legerit, vt inde haustis militiæ præceptis, actionum suarum disciplinam exemplorum varietate confirmaret. Quapropter legatus de componenda pace inter Regem Cazimirum, & Georgium Podebrantium Boëmum, rem non minus prudenter quam feliciter peregit: Itemque ad Fridericum Imperatorem atque alios Christianos Principes missus, officio suo honorificentissimè functus est. Denique cum Vladislaum Cazimiri Regis filium, ad regnum Bohemicum, splendidas veteranorum cohortes habens, deduceret, strenui & intrepidi Ducis nomen tulit; vtpote quem nulla terrerent pericula, neque vllæ rerum aut locorum difficultates ab incepto vnquam retardarent. Quem vt virum magnum, & bene de patria meritum, iusto Epitaphio condecoremus.

Stanislaus Ostrorogeus, Palatinus Calissiensis, meritæ per tot annos gloriæ; antiquis quoque & minus corruptis moribus: Hunc sibi superstes Sepulturæ locum delegit, ne cui vel in re parua molestus esset. Vt idem moriens faceret, quod viuus fecit.

XLVII. *DOBESLAVS CVROSVANCIVS.*

RES gestas Polonorum, cum plurimi composuerint, nemo sine honore Curosuancios memorauit, præcipuè Dobeslaum Castellanum Cracouiẽsem; qui sub Ludouico Rege bellis Vngaricis exercitatus, postquam in patria albo Senatorio adscriptus resedit, multa in toga & sago præclara, pro eius incolumitate gessit, prouectusque senectu & longo vsu, etiam militaribus copijs, Rege in Vngariam abeunte, domi præfuit; cum quibus contra

contra Lituanos, Lublinensem tractum infestantes profectus, rem strenuè gessit, & insignia triumphi adeptus est. Multo siquidem consilio bella suscipere, multoque maxima celeritas vehementia conficere: oborientes rerum casus ad rationem flectere: varias semper occasiones ad finiendum bellum inuenire: frustrari longa mora hostes, eorumque præfectos fraudibus sæpè tentare, & commenticijs literis suspectos & inutiles reddere probè didicerat. Multisque & validis propinquitatibus subnixius Ziemouitum Masouiorum Ducem, tempore interregni ingressũ vrbis, & Vilhelmum Austrium, ingressũ arcis Cracouiensis (quod vterque regnum, & nuptias cum Heduigi Ludouici Regis filia ambiret) prohibuit. Et Iagellonem ad regnum vocatum, non consilijs modo, sed opibus, & arcis contra quosuis regni hostes, pro parte sua viuit. Erat enim illi genus decorum, multa auctoritas, quæ viro militari pro facundia erat, viuida senectus, & regendis exercitibus idonea, multaque apud omnes gratia, vt etiamnum facta atq; famam nominis eius plurimi prosequantur. Quapropter & nos immortali eius memoriæ, optimo iure Epitaphium subscribamus.

Dobeslai Curosuancij, Castellani Cracouiensis, egregiæ Militaris famæ Viri, hic ossa clauduntur, donec immutatio veniat, & corruptibile, Hoc incorruptibile induat, & Mortale Immortalitatem, quam etiam hic, rebus præclarè toga & sago gestis, sibi comparauerat.

CRESLAVS CVROSVANCIVS. XLVIII.

SVb eodem Ludouico Rege, bellis Vngaricis claruit Creslaus Curosuancius, qui sub fratre Dobeslao alas equitum ductabat, & illi bello cum Lituanis, barbaris tum & hostibus Polonorum, cum laude interfuit. Totoque illo tempore quo Vladislaus Iagello nobis regnauit, expeditionibus ferè omnibus aderat, vni legioni præfectus. Quin & sub Vladislao eius filio, dum in Hungariam regnatum iuisset, rebus bellicis floruit, eo crescentis lau-

tis laudis accumulatique honoris successu, vt facilè nemo Creslauo Dux melior putaretur. Longo enim bellorum vsu (nam vixit ad octuagesimum nonum ætatis annum inconcussa valetudine semper) peritus, gnaui simul ac expedito ingenio occasiones præsentire, terminare consilia atque arma celeriter expedire didicerat: idem quum oporteret acerrimus bellator & cunctator egregius, cui nec ciuiles artes defuere, nec fortunæ, corporisque bona. Sed & huic more nostro ad memoriam posterorum Cenotaphium erigamus.

Claudit hoc Saxum Viator, Magnum Poloniæ Senatorem, Creslaum Curosuancium, Castellanum Sendomiriensem, Præfectumque Posnaniensem ac Luceoriensem, longa in Rebus Bellicis experiētia clarū. Ac ob id tribus maximis Poloniæ Regibus Ludouico nimirum, & duobus Vladislais Iagellonibus carū: & quem, Annos natum circiter nonaginta. Vitam sane, si ad Labores, nimis diuturnam, si vero ad eius Virtutem, & Patriæ desiderium spectes, perbreuem, Mors improba nobis eripuit. Anno M.CCCC.XLI.

XLIX. *VLADISLAVS IAGELLONIDES.*

Regnum paternum Vladislaus, Magni Iagellonis F. Anno à reparata salute, millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, extrema pueritia suscepit; ineunte verò adolescentia, Rex est ab Hungaris absens expetitus, bello Turcico maximo, atque acerrimis hostibus. Tanta enim opinio de illo animos omnium peruaserat, vt in illius indole salus omniū gentium

tium reposita putaretur, vbi primum paternis sceptris admotus Eliam Valachiæ Palatinum, fæudo dato Leopoli in suam tutelam recepisset, qui sibi à Turcis nimium tum crescentibus, vti vicinus magnopere metuebat. Igitur Sigismundo Magno Duci Lituaniæ, auxilio contra Crucigeros Liuonienses & Suitrigellonem misso: statutisque excubijs, contra incursiones Tartarorum, in Podolia atque Russia; Bohemiam quoque per duces suos longè lateque vastauit; quod fratre eius Cazimiro ad regnum vocato, pars alia Albertum Austriæ Ducem, regem sibi creasset. Tandem ipse ab Hungaris accersitus; Turcas imprimis ab obsidione Belgradi repulit, postea Reginæ Elizabethæ copias, qibus Ladislaus Isera præfuit, profligauit, Tirnauiamque ab oppugnatione liberauit. Susceptaque expeditione in Turcas, complures Bulgariæ & Seruiæ munitiones recepit, commissoque ad montem Hemum prælio, ingentem barbarorum exercitum deleuit, & ducem eorum Carambeium Bassam cepit. Petente itaque pacem Amurathe, inducias decem annorum dedit, his legibus, vt Albaniæ & Rasciæ munitiones suo Despotæ restituerentur. Interim pollicentibus Christianis principibus auxilia, & Iuliano Cardinali à iuramento dispensante, bellum iterum contra datam fidem suscepit, postq; medium Septembris, Segedino castra mouit, non satis alacer, nec spe optima; propterea quod violari à se fœdera & iurisiurandi religionem cogitare non poterat. Fides etenim quando promittitur, etiam hostibus est seruanda contra qnos bellum geritur, inquit D. August. ad Bonifacium scribens, quia leuissimi atq; incōstantis, immò perfidi hominis est, facto non implere, quod iam ante pronunciasti. Expugnauit itaque in itinere munitiones aliquot, & aliquot per deditionem accepit: tandem ad Varnam decima die Nouembris peruenit, oppidoque potitus, laborare ex apostemate pedis cœpit. & Turca cum exercitu occurrente, manus cum eo fortiter conseruit, quamuis longe viribus inferior esset, pedem referre turpe, & se generéq; suo indignum existimans. Itaq; fuso fugatoque iam omni equitatu Turcico, in Ianizerorum phalangem, in qua Amurathes ipse erat, temerè cum paucis inuectus, Bassam Asiaticum manu sua interfecit, & ad extremum equo confosso ab Ianizeris, telorū multitudine obrutus perijt, princeps longiore vita & immortali gloria dignissimus, & in quo tantus ad virtutem impetus fuit, vt præter ætatem, periculosissimis temporibus, maximis vndique hostibus septus, duo regna maxima Sarmatiæ atque Hungariæ, summa atque incredibili virtute conseruarit. Cuius heroica penè virtus etiam in illa pugna inprimis enituit, vtpote in vltimo mortalium operū quod esset obiturus; omnia enim tum constantis Ducis, tum fortissimi militis munera impleuit, occur-

 sando

ſando pauentibus, retinendo cedentes, atque vbi plurimum laboris, ſpem aliquam ſemper afferendo, conſilio, manu, voce, tam hoſtili inſignis, quam ſuis conſpicuis. Sed incredile dictu, quantæ calamitati ſoleat eſſe nimia fiducia: multique ſæpè parta iam victoria, poſtquam intra teli iactum venerũt, maximis cladibus affecti fuerunt. Rex igitur ſi quando ipſe decertet, caueat diligenter, ne ſit audacior, aut manum ipſe cum hoſte conſerat. Nam licet præſtabilem fortitudinis operam nauare poſſit, non tamen tantùm ſuis pugnando proderit, quantùm occumbendo oberit. Quemadmodum etenim ſi gubernator relicto gubernaculo, nauticis remigum operis ſeſe immiſceat, nauem in periculo eſſe contingit: eodem planè modò, ſi Imperator conſilia ſuis dare negligens, ad militaria munera ſe transferat, rem vniuerſam in maximum adducit diſcrimen; præſertim cum hoſtis ad anguſtias eſt redactus. Nullus enim pernicioſior eſt hoſtis, inquit Seneca, quàm quem audacem anguſtiæ faciunt: longeque violentius ſemper ex neceſſitate, quàm ex virtute corrigimur. quod in hoc prælio manifeſte videre eſt, cum Amurathes toto æquitatu amiſſo, cum ſolis Ianizeris cauſæ ſuæ fidens reſtitit, & Deum vindicem violatæ fidei teſtatus, Vladislaum magnum inter confertos hoſtes ſtragem edentem, interemit. Fuit autem Vladislaus procera ſtatura, facie fuſca, ſed honeſta ac dignitatis plena, capillis nigris laboris & inediæ patientiſſimus, abſtemius, iuſtitiæ & religionis cultor eximius; probitate, comitate & clementia, etiam in hoſtes ſingulari: liberalitate propemodũ nimia: animi verò magnitudine tanta, vt nihil humile cogitaret, nullaque difficultate ab eo quod conſulto inſtituerat, auelli ſe pateretur. Denique ſumma in eo fuerunt omnia, quæ maximos & optimos principes decent. Turcæ regio corpore inuento, modicæ altitudinis columnam cum inſcriptione rei geſtæ, in ipſo cœdis loco ſtatuerunt, vbi nos quoque Epitaphium illi, quaſi ab vtraque gente appendamus.

Viator. Vides Puniceas iſtas ac Rubricantes, antea Gramine viridantes Glebas? ne fallare, nõ Glebæ, ſed Linguæ ſunt: quæ implacabili gemitu pectora Polonorum quatiant: quæ Hungarorum oculos ad fletus quotidie integrandos prouocent: quæ Chriſtianos Reges ad vlſciſcendam communem iniuriam incitent: Quæ moneant Principes, Hoſtibus etiam Fidem ſeruare.

Hic inquam eſt ille Locus, in quo fortiſſimus Sarmatarum, Vladislaus Iagellonides cecidit: Qui immanes Scythas in Ruſſiam irruentes ſæpius vicit: Qui Valachos Poloniæ adiunxit: Qui Amurathem Turcarum profligatum ex Hungaria eiecit: Et qui ſolus omnium opinione, dare Lechitis ſalutem, & Hunnos liberare periculis poſſe videbatur. Hic igitur talis ac tantus HEROS, ad Varnam in Thracia, inter confertiſſimos HOſtes dimicans, certam propemodum Victoriam, HEU nefas, cum Vita pariter amiſit: HOC eſt, Religioni pro qua Bellum ſuſceperat, donauit. Æræ Chriſtianæ Anno M.CCCC. XLIV. cum vndecim ferme apud Polonos, apud HUNGAROS vero, non totos quinque annos regnaſſet.

Quodque illi aut Iuuenilis ætas negauit, aut immatura Mors ademit, id ipſe ſuppleuit Virtute ſibi, qua ad omnem claritudinem ſublatus, Rerum geſtarum Gloria quandiu hic Sol terras aſpiciet, viuet.

LVCAS

L. LVCAS GORCANVS.

LVcas Gorcanus, insigni familia, ac perinde opibus, sub Vladislao Iagellone initium dignitatis accepit; Pruthenicisque bellis excitatus à Vladislao eius F. ad Amurathem Belgradum oppugnantem legatus missus fuit: acerrimi vir ingenij, Ducumque illius temporis militaribus artibus, & robore virium facilè princeps: & vt bello optimus, ita in pace haud aspernandus. Qui sub Cazimiro Iagellonide, in pugna cũ Crucigeris ad Choiniciam, dum fortiter rem agit, ab hostibus capitur; à quibus Marieburgi durius tractatus, moritur in carcere bonorum omnium cum luctu. Corpus in profluentem equo tractum & submersum, qui tot legionibus præfuit, qui tot legationes peregit, qui tot negocijs Reip. commissarius demandatus fuit: magistratumque ita gessit, vt nemo temperantia, æquitate, atque industria potior videretur. Cui ad profluentis rippam monumentum apud posteros, hoc breue Epitaphium erigamus, quamuis meditata fuerint ad memoriam Virtutis carmina & laudationes à viris eruditis quamplurimis, hodieque adhuc memorantur exempla, quæ priscis moribus ad virtutem & gloriam Gorcana domus prodiderit.

Viator. Durum, si nescis, frangit Patientia. Lucas Comes de Gorca, Palatinus, præfectusque Posnaniensis: multa Militari fama, ingenti Corporis robore, Armorumque scientia; sub tribus Iagelloniæ Stirpis Regibus Poloniæ, Vladislais, videlicet duobus & Cazimiro: Maioris Poloniæ Legionibus præfuit: hostesque Patriæ, ac rei Christianæ multoties prosperrimè vicit. Demum ipse ab immiti fortuna victus, à Crucigerisque ad Choiniciam in prœlio captus, ex pedo-

pedore Carceris Marieburgensis interclusa anima, creditus est Mortalitatem expleuisse. Corpus submersum aquis præterfluentis Istulæ: Gloria vero Rerum præclarè Gestarum, durabit quamdiu illa curret.

PETRVS ODROVONSIVS. LI.

PEtro Odrouonsio viro militari, ob egregiam in bellis fortitudinem & prudentiam liberalitate Iagellonis Regis, magnas opes, & vel graui cũ inuidia obuenisse constat, quod solus tota Podolia potiretur, magnamque Russiæ partem possideret. Is igitur regnante Iagellone contra Crucigeros in Prussia veteranorum cohortes ductabat; auctusque Senatoria dignitate, prouincialibus copijs præfuit, cum quibus, Suidrigellonem Podoliam populantem, multis locis repressit. Vladislaoque Iagellonidi Hungaricum regnum bello pacanti, cum voluntariorum egregia manu, nullo stipendio publico adiutus, suppetiatũ venit, (qui eum ob insignem corporis formã, & præclarum animum, Ducem sibi elegerant) egregiamque in rebus bellicis operam præstitit. Ac inprimis Bohemos montium iuga occupantes profligauit: deinde præsidiarios Cassouienses, agros circumuicinos depopulantes ad internecionem deleuit. Cæsoque multis in locis prospere hoste, tandem quoque & ipse à Telepho Præfecto Cassouiensi inopinatò Agriæ adortus & captus fuit: & à Soloma Vngaro Budam ad Regem suum deductus, qui defectionis suæ apud Regem culpam vel hoc ipso abolere studuit. Cum interim vices fortuna variante ipsemet Telephus à militibus Odrouõsianis, & profligatus die insequenti, & ipsemet captus esset. Proinde in Podoliam contra Tartaros Odrouonsius à Rege ire iussus, cũ omnibus copijs suis Vngaria excessit, & Vladislao ad Varnam occiso, à Cazimiro fratre eius, qui in Regem Poloniæ electus, sceptro paterno positus fuit, missus cum exercitu in Valachiam, vt deduceret Alexandrum puerum, ad capiendum principatum à quo exulabat, in pugna cum Bogdano interijt, victoria Polonis suis non incruenta relicta. Igitur viro pro patria deuoto, scribamus Epitaphium.

Genio. Manibus & Vmbræ. Petri Odrouonſij, Palatini Ruſſiæ, Præfectique Leopolienſis, ac Vniuerſæ Podoliæ. Qui ſub tribus Iagellonibus Regibus Poloniæ Bellicoſiſſimis varijs, expeditionibus, varia fortuna interfuit. Et quamuis ſecunda toties Clarus, & turbidis Rebus intrepidus, Aduerſa tamen ſuccubuit. Primum; in Vngaria, in Tumultu Agrienſi, à Telepho præfecto Caſſouienſi captus. Deinde; perdomandæ Valachiæ dilectus à Cazimiro Rege, in Pugna cum Bogdano Vaiuoda interfectus. Vt inſolentis Deæ Poſthumantibus Documentum relinqueret parta ſuis Victoria interijt.

LII. *ANDREAS ODROVONSIVS.*

INter viros, quorum fidei cuſtodiæque concredita eſt imperij dignitas, populi ſalus, cura patriæ libertatis, & antiquæ religionis, iure meritò locum ſibi vſurpat Andreas Odrouonſius Palatinus Ruſſiæ, Præfectuſque Leopolienſis poſt obitum fratris Petri à Rege Cazimiro Iagellonide factus; à quo iuſſus tueri munitiones Alexandri Valachorum Principis pueri, in Moldauia ſitas, ſtrenuè ſępiùs, contra Bogdanum inuaſorem rem geſſit; & Tartaros Podoliam incurſantes cum Theodorico Buciacio feliciter repreſſit. Idem difficillimo Crucigerico in Pruſſia bello, ingentium præliorum victor, periti ſſimi ducis nomen aſſecutus, etiam legationibus grauiſſimis ad diuerſos Europæ Principes inclareſcere ſtuduit. Inque omni ſenatorio munere, vigebat apud eum dignitas ſine faſtu, doctrina ſine oſtentatione, ſine fuco probitas, & ſtudium ſine factione, Quapropter viro tantis dotibus prædito tamque benè de patria merito, cum aliter litare nequimus, ſaltim pro modulo ingenij, ſcribendo Epitaphio parentemus.

Andreas Comes Odrouonſius, Regni Polonici Senator AMPLISSIMUS. Amans Virtutum: Oſor Vitiorum: Rectus Iudicij: Rerum togæ, Rerum ſagi, vſu & experientia egregie peritus, ſub hoc Marmore iacet. Qui ſub Diuis Iagellonibus varijs Bellis Exercitatus, Tartaros in Podolia ſępius feliciter cęcidit, & Bogdanũ Daciam inuadentem oppreſſit. Crucigeriſque in Pruſſia toties profligatis ſtrenui & intrepidi Ducis Nomen tulit. Demum, obitis aliquot ad diuerſos Principes, Clariſſimis pro Republica, Legationibus obijt & ipſe Anno M. CCCC. LXV. Bonorum omnium cum luctu.

LIII. *LESCO BOBRICIVS.*

ADſcribamus Cathalogo bellatorum Sarmatię & Leſcum Bobricium, equeſtris ordinis virum, ſed auctoritate famaque inter proceres. Hic varijs inſuefactus bellis, vti valdè patiens laboris, & ad ardua quæque militiæ munera capeſſenda promptus & audax, facilè apud Magnum Iagellonem legionis præfectus in Pruſſia euaſit, quum viuidæ eius virtuti nihil eſſet imperuium. Quumq; Vladiſlaus Iagellonides ad Regnum Hungariæ vocatus eſſet, Leſcum ſecum inter præcipuos educendum delegerat, quod & animi audacia & virium robore percelebris fuiſſet: præmiſeratq; eum cum parte copiarum ad præoccupandam Budam, totius Hungarię Metropolim.

polim. Postea Regina nolente pactis stare, cum Iaurinum milite muniuisset, Comitemque Ciliæ (cuius vnius spe maximè regina elata fuit) copijs omnibus suis præfecisset, ille cum Stanislao Ostrorogeo missus, Comitem noctu ex arce fugientem cæpit, & copias deinde eius fœdissimè profligauit. Dumque in Bulgaria Sumium opidum Rex expugnaret, vbi quinque millia Turcarum occisa fuerunt, Lescus duobus vulneribus acceptis, solus portas vrbis refregit, & cum turma sua hostem mænibus deiecit. Atque demum, multis suæ fortitudinis exemplis editis, in pugna Varnensi egregiè cum hoste dimicans, multis quoque vulneribus vndique confossus cecidit. Cuius tumulum hoc Cenotaphio honoremus.

Lescus Bobricius Ligenza, vi Corporis, & virtute animi, Militarique felicitate nemini Secundus, ac prorsus antiquis Heroibus par hoc Tumulo conditus iacet. Qui prima Castrorum Rudimenta in Podolia contra Tartaros Vitoldo prudenti atque Bellicoso Duci approbauit: Iagelloni Regi fortissimo, contra Crucigeros in Prussia Tribunus Militum egregiam operam præstitit: Et tandem Vladislao eius F. Bellis Hungaricis atque Turcicis eximiè commodus, cum quo simul & Vitam in acie Varnēsi posuit, Vitam Bello assecutus est, cuius nullus Terminus, nullus Finis.

LIV. *NICOLAVS COMOROVIVS.*

VLadislao Iagellonide ad regnum Huncaricum euocato, cum multi ex Hunnis partes, reginæ Elizabethæ, mutata fide sequerentur: multique

tique è contra Poloni, voluntariè & absque stipendijs Vladislaum regem suum iuuarent; etiam Nicolaus Comorouius, Podolinetiæ in Scepusio Præfectus, cum suis cohortibus castra secutus, magno Regi adiumēto fuit, qui tum nobilitate opibusque anteibat alios, & militia clarus, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate & alloquijs officia prouocans: ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. Sed præcipitis fortunæ ludo ab ijsdem Hungaris victus, & in captiuitatem ductus, reliquis exemplo fuit, qui rebus secundis insolescere consueuerunt, alias egregij & fortissimi duces. Iunctis siquidem cum Nicolao Ciaica suis copijs, noctu Eporiassum oppidum, quod Iscræ Bohemi præsidio tenebatur, admotis scalis ingressus, raptim direptum incenderat, & cum præda domum redire properabat: cum interim ex insidijs, quod minus cautè agmen suum procederet, ab Iscra inopinatò adortus, ipsisque captus, & prædam & militem ferè omnem amisit, diuque carcerem in Bohemia pertulit. Tandem sub Cazimiro Rege liberatus, Poloniam sua industria latrocinijs purgauit, prædantesque Silesios repressit, & munitiones eorum diruit: atque demum ipse quinquagesimo quarto ætatis anno supremum diem expleuit.

Viator. Hîc Terra tegit Terram. Hoc est, Tumulus Nicolaum Comorouium Comitem Liptouiensem Gente Caraffam. Cui Regium Genus, & Pace Belloque inter Roxolanos clara Origo fuit. Quique idem sub tribus Iagellonibus, Bellicosiss. Sarmatiæ Regibus, Armorum Gloria clarus; & vertente se fortuna, in pugna quadam in Hungaria captus, quum diuturnum Carcerem constanter in Bohemia pertulisset, Docuit Exemplo suo Virtutem insolentis Deæ fluctibus iactari quidem, sed nunquam mergi, aut opprimi posse.

CAZIMIRVS IAGIELLONIDES. LV.

OVidni quoque in hunc Martium campum producam Cazimirum Regem Magno Iagellone natum, qui cæpto ductoque per varios successus bello, eum militiæ fructum cæpit, vt inter inclytos eius ætatis reges præstantissimus euaderet, & sæpè victor, & quandoque victus, ab indomita virtute se ipso maior semper & clarior haberetur. Is igitur puer adhuc nimis, post obitum patris à Bohemis ad regnum expetitus, quod nondum suæ spontis esset, dissuadentibus proceribus oblatam occasionem omisit. Ast à Lituanis, fratre Vladislao in Hungariam ad capessendum regnum profecto, magnus Dux creatus, tumultuantes Russos statim compescuit: oppressa plebe Smolenscensi, & arce recuperata, quam iam in potestatem suam Georgius Mscislauiensium Satrapa redegerat. Tandem Vladislao fratre ad Varnam à Turcis occiso, Rex Poloniæ declaratus est Anno Virginei partus 1447. Statimque bellum Crucigeris Poloniam lacessentibus intulit, & prælio illi ad Choiniciam ipse interfuit: cumque omnes qui ad custodiam illi dati fuerant, diffugissent, solus cum paucis instaurando pugnam perseuerabat. Quòd nisi vi ab ijs quibus eius cura mandata erat abstractus esset, viuus in potestatem hostium dubio procul venisset. Non despondit nihilominus animum, sed continuè bellum illud prosecutus annis tredecim varia fortuna gessit. Et simul tempore eodem cum Matthia rege Hungariæ fortissimo atque bellicosissimo, in Silesia acerrimè decertauit. Stephanumque Valachiæ Palatinum, bellatorem inclytum, parere Polonorum imperio iussit: & Machometem Turcarum tyrannum ex Valachia expulit, pacemque petere coegit. Prussiam ipsam ad extremum maximo bello perdomuit, & Pomeraniam, Culmensemque ac Michalouiensem terram, nonnullasque ciuitates & munitiones regno Poloniæ adiunxit. Tum incurrentes in Podoliam Tartaros, aliquoties profligauit, Moscumque deuicit; & populis quos in suam potestatem pactis conuentis acceperat, tributa omnia condonauit. Carolum Daniæ regem exulem Gedani recepit. Itidem Suециæ regem à subditis suis expulsum, in arce Puscensi regio planè sumptu fouit: quam ei postea hypothecæ nomine, certam pecuniæ summam mutuatus, dederat. Nec vlli vnquam genti sine iustis & necessarijs causis bellum intulit, quamuis lacessitus interdum: erga suos autem nimis etiam mitis ac leuis fuit, vt qui nunquam ijs quoque, qui vel

vel grauiter in ipsum deliquissent, irasceretur: pulchrumque duxit, & se dignum, impunè lædi. Quapropter contumelias suas, nulla vnquam acerbitate executus est: finitimosque omnes partim societate sibi adiunxit, partim fœdere reconciliauit, partim verò bello deuicit. Pacem verò publicam, ocium, ac tranquillitatem, armis atque legibus in suo regno diligenter custodiuit, vt videlicet sub illo Polonia, tot iactata casibus, tot afflicta cladibus, tot denique oppressa malis, requiesceret aliquando, & se ex diuturno labore, pace ac quiete reficeret. Singularis siquidem prudentiæ fuit, eximiæque dexteritatis, ac fælicitatis maximæ profectò, in tam difficilibus rebus Reip in tantis procellis & tempestatibus, & in tot occasionibus occasus patriæ, ita moderari Remp. ita tueri, conseruare ac relinquere, vt neque Turcarum torrentis more sæuiens potestas, neque Tartaticarum cohortium rapacitas, neque impetus Moschouitici, neque Valachiæ casus & mutationes, neque Germanorum machinationes nostram Rempub. ægrotantem aliquo insigni damno vel detrimento affecerint. Erat etenim animo, alijsque virtutibus vehementer excellens: sed & præstans etiam pulchritudine oris, ac totius corporis forma conspicuus, læta atque hilari fronte, quæ plurimum valent ad gratiam hominum conciliandam. Igitur expletis quatuor & sexaginta ætatis suæ annis, in terris esse desijt, relictis ex Elizabetha vxore, filia Alberti Imperatoris, filijs sex, Vladislao nimirum Hungariæ & Bohemiæ Rege, Alberto, Alexandro, & Sigismundo, qui ser e quadam mirabili atque diuina, in regno Poloniæ sibi succedebant, & Cazimiro atque Friderico, ad meliora regna hisce terrenis deputatos. Horum etenim alter in diuos relatus est, alter verò vrbis Romæ Cardinalis fuit. Filias quoque septem numero, ex hoc eodem matrimonio susceptas habuit, quas omnes Germanis Principibus in matrimonium dedit: atque ita genere ac sanguine suo cunctam Germaniam compleuit, vt pauci sint ex omnibus Germanis Principibus, qui consanguinei non sint Polonis. Hæc de rebus præclarè ab illo gestis; addamus etiam Epitaphium constantissimo Regi, quod venerando eius Mausolæo appendamus, in Basilica Cracouiensi, vbi & Pater eius quiescit.

Alter huc ingreditur Iagellonides, Nobilis huius Mausolæi Hospes, Magni Parentis, Magna progenies, ille Sarmaticæ Gentis Rex Bellicosiss.

coſiſs. Qui circumquaque poſitas Gentes, aut ſapienter Amicitia comprehendit, aut fortiter vi armiſque compeſcuit; Et quos omnes ab Odera, ad Boryſthenem vſque & vltra, ingenti ſui Nominis Terrore compleuit. Quieſcit hic Hæres vnicus Iagellonicæ Stirpis, exemplar Conſtantiæ, Grauitatis, Patientiæ, Fortitudinis, omniumque Virtutum. Qui Pruſſiam & Pomeraniam per deditionem accepit; Crucigeris fœderum non tenacibus, poſt tredecim Annorum Bellum ſupplicibus Pacem conceſſit: Qui cum Hungaris & Bohemis, varijs & ipſe ærumnis Exercitus, Bella acerrima geſſit. Qui Magnum Moſcouiæ Ducem, Pacem redimere coegit, & Scythiam ſæpe repreſſit: Moldauorumque Palatinum Bellicoſiſs. Stephanum, in clientelam accepit, & Magno ei ad profligandos Turcas adiumento fuit. Cumque Annos vixiſſet LXIV. Et effuſæ clementiæ plurima Subditis Exempla reliquiſſet, fatalem horam adeſſe ſentiens, Chriſtiano. Ritu Sacramēta percipit: Et quinq; ac quadraginta Annis quibus regnauit, tot, tantaſq; Res geſſit, vt immortalem ſibi apud omnes circumuicinos populos gloriam compararit.

FOE-

LVI. *FOELIX PANIOVIVS.*

FOelix Panionius à puero in caſtris Vladislai Iagellonidis Poloniæ & Vngariæ Regis exercitatus: illo ad Varnam occiſo, Huniadi primum Palatino Tranſyluaniæ, deinde filio eius Regi Matthiæ adhæſit. Cumque is bellum Turcis intuliſſet, Panionius cum Ioanne Sreſcouio Dolinio, cognomento Albo, quingentos Polonos regijs ſtipendijs in Vngariam euocauit: eiſque à Rege præfectus aſſignatus, ad reprimendas barbarorum excurſiones è Boſna in excubijs conſtitus, multa egregia facinora ſæpiùs edidit, omnibusque ferè prælijs cum laude interfuit. Atque ſemel in palantes barbaros, obfirmatis ſuorum ad vincendum aut moriendum animis, prima noctis vigilia; ne paucitas ſua conſpecta hoſtibus animum adderet ingentem impetum fecit, reſiſtentibuſque acriter Turcis, quinquies pugnam redintegrauit: & die illuceſcēte à Raſcianorū turma adiutus, quatuor millia barbarorum deleuit feliciter, & ſeptemdecim millia vtriuſque ſexus captiuorum, qui in fœdam ſeruitutem à barbaris abigebantur, liberauit. Itaque clarus militia, & fortitudine in patriā reuerſus eſt, Tribunuſq; militum bello Pruſſico à Cazimiro Rege factus, Choiniciam munitiſſimam ciuitatem, arcta obſidione preſſit, & ad deditionem coegit: exque eo Regi inpoſterum charus, & ſummis ab eo beneficijs ornatus, pro patria ſe ſtrenuè vbique & amanter geſſit. Quem hac breui Epigraphe, pro meritis, cohoneſtemus, licet eum ſatis ſua virtus laudatum reddidit.

Fœlix Paniouius, Gente Goziembius, Hic Tumulatus quieſco. Voſque Amici mei omnes rogo, Deſinite Luctu quietem nunc meam rumpere. Vixi namque Bellis deditus, vt morerer pro Patria, proque re Chriſtiana, in acie feliciter: Mortuus ſum præter ſpem Domi, vt viuerem felix in Domo multarum Manſionum in cœlis: vo-

P biſcum

biſcum victurus demum, in illa felicitate æterna, cum mortua Mors fuerit.

PAVLVS IASENIVS. LVII.

SVb Vladislão Iagellonide bellis Hungaricis clarus, ſubque Cazimiro fratre eius equitum alæ in Pruſſia præfectus, cum multa ſpecimina Virtutis ſuæ edidiſſet, in pugna velitari ad extremum ad Choiniciam à Cruci geris captus; qua deinde ad deditionem coactã, ſuis redditus, in magna & feruenti gratia apud Regem fuit: Eiuſque filium natu maiorem Vladiſlaum ad regnum Bohemiæ vocatum, Dux exercitus factus, deducebat. Erat enim validus animi, & corpore ingens; anteire agmen: locumque caſtris capere, noctu diuque conſilio, ac ſi res poſceret manu hoſtibus obniti, cibo fortuito, veſte habituque vix à gregario milite diſcrepans, prorſuſque antiquis Ducibus par. Igitur Rege in ſolio Bohemiæ collocato, inuaſerat ſtatim citis cum militibus & Hungariam, munitioneſque cæperat nonnullas; quas deinde Vladislaus Bohemis conſentientibus, reſtituerat Vngaro. Quem iterato Paulus, ad Vratislauiam, Regibus Cazimiro Poloniæ & Vladislao eius F. Bohemiæ, iubentibus, armis aggreſſus, in primo ſtatim congreſſu turbauerat exercitum eius, totum & mille in acie occiſis, ſexcentiſque captis ad pacem, cum Regibus concludendam, quodammodo permonit. Inde contra Tartaros in Podoliam miſſus, irruptiones eorum repreſſit, peractiſque ad Imperatorem, Regem Galliæ, & Regem Vngariæ Matthiam grauiſſimis pro Repub. Legationibus, fato conceſſit non planè ſenex, Vir induſtrius, efficax, multarum linguarum peritus, aulicarum artium minimè rudis, & qui naturam verſare poſſet in varias partes, ac velut alter Proteus multiplices formas aſſumere, quas ei fors obieciſſet, aut officij ratio aſſignaſſet. Quem tali Epitaphio decoremus.

Paulus Iaſenius, Theſaurarius primum Regni Poloniæ Supremus, Deinde Caſtellanus Sendomirienſis, & apud Cazimirum Iagellonidem,

nidem, Regem prudentiſs. Exercituum Generalis, Hũgaricis, Bohemicis, Tartaricis, Pruthenicíſque Bellis Clarus; Dum peractis pro Repub. ad diuerſos Principes, grauiſſimis Legationibus, Quietiorem ex Labore Vitam quærit, Sexto & quinquageſimo, Ætatis anno, immatura Morte præuentus, quam viuens non inuenit. Hîc Requiem ducit.

IACOBVS DEMBINIVS. LVIII.

IAcobus Dembinius, modeſta iuuenta & corpore inſigni, proſpero curſu, in caſtris Vladislai Iagellonidis, ſingulorum ordinum honores percurrit, & à Cazimiro eius fratre vnius legionis præfectus factus, in bellis Pruthenicis ſeſe ſtrenuè pro patria atque amanter geſſit. Et quadam vice ad obſidendam Valciam miſſus venienti cum tribus millibus Germanorum, in ſubſidium obſeſſis, Bernardo Sumbergio, ne ſe hoſtes vtrinque, aduerſum pariter & auerſum adorirentur, in æquiorem locum obuiam proceſſit, & cœſis complurimis omnes penitus diſſipauit. Quo intellecto ij qui in præſidio Valciæ fuerunt, nocte arce incenſa diffugerunt. Quapropter Regi vehementer gratus bello Vngarico cum Rege Mathia exorto, non tantum prælijs cum officio & honore interfuit, verum etiam Cancellarij ſupremi titulo auctus, rerum tractationi præfuit, obiuitque legationes diuerſas, in Boemiam, in Hungariam, in Pruſſiam: itemque ad Pontificem in Italiam & ad Imperatorem in Germaniam. vbi rebus ex animo confectis, totius minoris Poloniæ curam à Rege commiſſam habuit, Rege ipſo ad Pruſſicum bellum perſequendum profecto: quo in loco conſtitutus, vt bonis comis, ita aduerſus malos iniucundus fuit. Purgauitque latrocinia in confinio Sileſiæ orta: & vbi conuentus ac iudicia poſcerent (nam & Præfecturam Cracouienſem geſſit) grauis, in-

tentus, seuerus, & sæpius misericors. Nec illi quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut seueritas amorem diminuit. Mortem obijt ætate extrema: reliquiæ paterno tumulo illatæ Cracou. & funus ductum, lacrymis & conclamationibus dolorem amicis testantibus; cuius Tumulum hoc Epitaphio cohonostemus.

Iacobus Dembinius, Thesaurarius primo, Deinde Supremus Regni Poloniæ Cancellarius, Præfectusque Cracouiensis hîc tegitur depositus. Vir cunctis vitæ officijs æquabilis, Opum contemptor, recti peruicax, constansque aduersus metus. Et qui totam ætatem in Bellis tractandis, administrandaque Republic. peregit. Ac inprimis Valcensi Victoria, Legationibusque pro Patria obitis clarus, Climacterico demum ætatis Anno Fato concessit. Rarissimum Senatoriæ Prudentiæ Exemplum.

LIX. PETRVS DVNINVS.

Sequitur è Tribunis Cazimiri Regis, Petrus Diuinus quoque, qui cum plurima, sub patre adhuc eius Vladislao Iagellonide, virtutis præclara specimina edidisset, tum sub Cazimiro eius filio toto Bello Prussico, quod tredecim annis durauit, equitum alas ductauit, integræque demum legioni præfuit, Succamerarij Siradiensis titulo auctus. Et Crucigeris temere maiorum fœdera violantibus, ad Fraumbergum subsidio obsessis missos, Magistrum Crucigerorum ita conterruit, vt aleam pugnæ periclitari

clitari non ausus, desertis castris fugiens solueret obsidionem. Inde in Pomeraniam mouens, non satis habuit hostem liberioribus excursionibus prohibere, sociosque defendere: sed in hosticum progressus Stargartensium, Bythouiensium, Lemburgensium & Pusceensium fines, ferro & igni vastare adortus est. Hostes vbi nostros prædæ cupiditate longius ad iniqua loca, inter stagna & lacus prouectos animaduertere, validam & ipsi manum, deducto è proximis suis munitionibus præsidiario milite, agrestibusque arma sumere iussis, coegerunt, opportunitate locorum contra nostros vsuri. Idque eo maiore fecere audacia, quod commodum Fricius Raunechius Austrius, & Caspar Nostiuicius Silesius, nouos milites è Germania ipsis adducentes, aduenerant. Rex etiam Dunino, aulicum suum Comitatum cum Alberto Gorscio summiserat. Itaque ventum ad prælium apud Puscum, & Duninus hostibus profligatis, castris eorum ex facili potitus est, cæsis cum Fricio ductore eorum, duobus Germanorum millibus, captisque sexcentis: cum nostri mille octingenti tantummodò fuissent. Idem paulò postea Ericum, Stolpensium Pomeranorum Ducem, ad Crucigeros cum copijs suis tendentem profligauit. Holandiam opidum munitissimum ab hostibus proditione captum, recuperauit. Gneuum seu Meuam biennio obsidione premens, tandem ad deditionem coegit: similiter Nouum, arcta obsidione toto anno cinctum: priusquam in Hungariam atque Bohemiam deinde Senatoria dignitate ornatus orator nomine regio abiret. Et rebus prosperè confectis reuersus, paucos deinde post dies deducebat Cazimirũ Regis Cazimiri filiũ, in Hungariam ad Regnum vocatum. Quòd Hungari nimirum diutius ferre tyrannidem Matthiæ Regis non valentes, vel à Turcis auxilium se petituros dicerent, ni Rex Cazimirus filium mittere vellet. Inde reuersus, mortem obijt ætate prouectâ, in hoc vnum semper intentus, vt instaurata militia, quæ longo æuo emarcuisse videbatur, veteres equitum alas lectissimis supplementis corroboraret, & in expeditionem Prussicam iterum educeret. Cuius feralem vrnam hac breui Epigraphe condecoremus.

Viator. Petrum Duninum, Succamerarium primo Sendomiriensem, deinde Castellanum Siradiensem, præfectumque Marieburgen-

genſem, Virum claritate Natalium inſignem, Militiæque gnarum, & Corpore validum, atque omni Liberali Doctrina perpolitum, Rex Cazimirus Iagellonides, Bello Pruthenico è Gregario ad ſumma Militiæ prouexerat. Eundemque meliore Fato Fideque Natum, Albo Senatorio inſcripſerat, atque Honorificentiſſimis Legationibus ad Principes externos ornauerat. Qui cum egregiam Regi, Reiquepub. Operam nauaſſet. In ipſo Laudum ſuarum progreſſu eſt Hominum expectationi ereptus.

LX. *NICOLAVS SARLEIVS.*

VT primum è literario, militarique ludo adoleſcens Nicolaus Sarleius prodijt, incredibili proſperoque ſemper curſu, ſingulorum ordinum honores, apud Vladislaum Iagellonidem percurrit atque promeruit: creatuſque demum Palatinus Inouladislauienſis à Cazimiro Rege, & Procerum numero adſcriptus, Plauenium Bohemum, Crucigerorum ſtipendia merentem, magnaque Polonis cum ſuis cohortibus damna inferentem, ad Choiniciam profligauit, & in hoſticum progreſſus, caſtella eorum exſcindit, & plana, edita, validos, inualidoſque pari metu compleuit, Cumque iterum ibidem ad 14. Kal. Octob. prælium cum Crucigeris commiſiſſet, cui & Rex ipſe interfuerat, ab infeſta fortuna ſuperatus, cum alijs claris viris captus eſt, & Marieburgum deductus. Vbi durius habiti noſtri, pars maxima interire: mortuos ne ſepultura quidem crudi & immanes hoſtes dignati ſunt, ſed equis tractos in profluentem abiecce-

abiecere. Sarleius verò lyntro graui liberatus, quia à puero duriori vitæ aſſuetus fuerat, pedore carceris illius opprimi non poterat. Igitur redux ad penates iterum à Rege miniſter bello datus fuit; inque omnem rerum occaſionem aduerſus Crucigeros expedita arma conuertens, ita fortunam innatæ creſcentique virtute ſuæ optimis artibus conciliauit: vt nemo eo domi conſultior Senator, nemo dux in caſtris exactæ diſciplinæ præceptis inſtructior in Maiori Polonia cenſeretur. Cui pro meritis hoc breue Epitaphium ponamus.

Nicolaus Sarleius, Palatinus Inouladislauienſis, & Schluchouienſis atque Tucholienſis Præfectus. Vir Secundis aduerſiſque iuxta Famoſus. Hoc eſt Clade & Victoria, vno eodemque in Loco, ad Choiniciam, reportata. Poſt Annum ſeptimum & quadrageſimum, quam Terris oſtenſus eſt, Coelo Animum, vnde ſumpſerat, reddidit.

PETRVS SAMOTVLIVS. LXI.

HAud quaquam degener ab auitis & paternis virtutibus Petrus Samotulius, Caſtellanus Poſnanienſis, qui ea tempeſtate inter claros Duces validas equitum copias ductabat. In eo quippe vis ingenij mirifica eminebat, & natura erat aduerſus laborem & ſomnum indomitus, periculorum deſpector, imperij & militaris laudis auidus. Itaque cum fortem fidelemque operam difficillimis Reipublicæ temporibus nauaret, tanto regis ſtudio ſingulos honores adeptus eſt, vt eopijs regni præficeretur: inque illa generali expeditione, Anno 1457. contra Crucigeros Pruſſienſes, ſummam in exercitu ſecundum regem poteſtatem habuit. Et Paponiam, in primo in Pruſſiam ingreſſu, munitiſſimam arcem, in vna hora expugna-

pugnauit & incendit. Sumbergium Ducem Crucigerorum inopinatò inuadere nostros volentem, ita profligauit, vt cunctis amissis, quindecim milliarium iter eo die solus fugiens conficeret. Cumque plurimos pro Repub. exantlasset labores fato demum suo functus est ætate prouecta, Cui vel hoc breui Epitaphio scribendo parentemus.

Mortales. Petrus Comes Samotulius, Hic iaceo; Supremus mihi Dies affuit, cui olim viridis Ætas Senectusque fuit. Aderant & opes ingentes, & Nobilitas maiorum, & Senatoria in Patria dignitas. Tum Corpus procerum, decora Facies, ac Ingenium Illustre: Nunc puluis tantum sum, inanis: Gloria autem illa, quam Bellis Pruthenicis comparaui, in Fumum abijt tota: Proinde qui me nunc calcatis viui, cogitate si sapitis, idem & vos breui futuros: Atque pro me, Deum exorate.

LAVRENTIVS ZAREMBA. LXII.

FVit Zaremba Palatinus Calissiensis regnante Vladislao Iagellone, ingenio peracuto, constanti, versutoque apprimè validus: corpori autem quanquam mediocri, singulisque membris, habilis inerat vigor, adeo firma explicataque membrorum compage, vt eques pariter & pedes armorum exercitatione, cunctos æquales anteiret, nec vnquam inedia, vigilijs, algore aut æstu frangeretur. Is Vladislao Iagellonidi Hungariæ Regi ex Polonia missas copias à Republ. ductabat, omnibusque Turcicis bellis

lis cum laude interfuit. Reuersusque in Patriam etiam sub Cazimiro eius fratre floruit, & ad bellum Prussicum eunti, cum delecto equitatu, & sagittariorum cohortibus Comes fuit. Cuius Sepulchrum hoc Epitaphio honoremus.

Conditus est sub hoc Marmore, ille pullus Martis, Laurentius Zaremba, Palatinus Calissiensis: Vultu habituque Moris Antiqui, & Æstimatione recta Seuerus. Qui optimos mortalium, optima cupere sciens, Non aliud in Votis tota Vita habuit, quam vt pro Patria & re Christiana in Bello Turcico, aut Prussico moreretur. Cæterum illæsus vbique & incolumis, apudque Penates mortalitate interceptus, & suos, & Posterorum suorum Cineres diem Domini heic expectare curauit.

LXIII. JOANNES ZAREMBA.

SEquitur & alter eiusdem stirpis & dignitatis Senatoriæ Heros, elegantia singulari, comitate, humanitate, complurium linguarum peritia, & prudentia præstans. Is diutius peregrinatus fuisse dicitur, maximamque Asiæ atque Africæ partem peragrasse, hoc fine, vt ea omnia ediisceret, quæ ad optimam bellatoris disciplinam pertinerent. Eminebat enim in illo eruditum & graue perspicacis ingenij iudicium, quum rerum bellicarum omnis generis, & literarum intelligentia polleret: corpusque patiens

inediæ, vigiliæ, algoris, & supra quam cuiquam credibile, animus audax. Igitur regnante Sigismundo Primo, Germanicum exercitum in Prussiam Crucigeris suppetiatum euntem, ad Medzireciam præcipuè; sed & alijs in locis sepius cecidit, cum Prædislao Lanckoronio & Iacobo Secigniouio iunctis suis cohortibus. Idem Gedanum cum mille equitibus fortiter tutatus: factaque ex vrbe eruptione, multos ex hostibus paucitatem nostrorum contemnentibus trucidauit, multos cæpit. Neque multos post & ipse fato interceptus, è tanta expectatione rerum, publico omnium luctu decessit, eloquio, prudentia, religione, innocentia, & grauitate domi forisque insignis: Inque dicendis in Senatu sententijs liber, & grauissimus. Cui hoc breue Epitaphium subscribamus.

Perpetuæ Dormitionis DOMUS. Magnanimi HEROIS Ioannis Zarembæ, Palatini Calissiensis, Qui in remotissimas Oras Peregrinatione suscepta, Asiam, Africam atque Europam lustrauit. Et domum reuersus, licet Nobilitate ceteros anteiret, Bonis tamen Consilijs notescere volebat: Nec in Senatum ingressus est, nisi Iudicio Sapientissimi Regis Sigismundi Primi, Bello Prussico tantum honorem promeritus, Quod etiam Gloria & Virtus infensos habeat. Quapropter te quisquis es, HIC Sepultus rogat, sua ne moueas, seu inquietes Ossa, vt qui viuus nunquam ob inuidorum maleuolentiam quieuit, saltem quiescat Mortuus.

ALBER-

ALBERTVS JAGELLONIDES. LXIV.

VIguere in hoc Principe, quod negari non possit, egregie corporis animiq; virtutes: namque auo similimus, militarisq; laudis appetentissimus fuit. Corpus laborum non minus patiens, quàm strenuum: plurimum audaciæ ad pericula subeunda: & qui nullo vnquam discrimine perterritus, nullis casibus victus: linguæ quoque Latinæ peritus, & præsertim historiæ studiosus: liberalitate erga militares homines & magnitudine animi non vulgari. Siquidem illi inerat animus pecuniæ contemptor, & opulentiore Rege dignus, quo maxime sibi hominum animos deuincebat. Merueratque Castrensis disciplinæ laudem, à Cazimiro patre Anno 1489. contra Tartaros missus in Podoliam, vbi ad Copestrinum bipartito agmine Barbaros incedentes inuenit. Itaque relictis cum exiguo præsidio sarcinis, in id agmen hostium quod antecesserat, ingenti procursu impetum fecit: quem Barbari quoque conspicati, extemplò diduxêre agmen, densumque sagittarum imbrem sursum versus eiaculati, equos pariter & equites nostrorum supernè consauciabant, donec præpeti cursu inuectis nostris res cominus gladijs geri cœpit: vbi vero impares nostris armatioribus, in fugam conuersi sunt: quam tamen obiecta cænosa palus impediebat. Itaque multi in prælio, longè plures in fuga cecidêre, ita, vt è quindecim millibus, vix paucissim cum duce pedes euaserint, equis in palude hæsitantibus. Præda omnis à nostris recuperata, & captiuis exuuijsque hostium cumulata. Interea alter Tartarorum exercitus superueniens, impedimentis nostrorum ad Capestrinum relictis potitus est: cumque ibi affatim mulsi reperissent, ex itinere sitientes largiùs sese ingurgitabant, diffugisse nostros rati. Sed cum Albertus cognouisset, in commessabundos facto impetu, ad internecionem penè omnes deleuit: decem millia fuisse feruntur, quorum paucissimi duce amisso fuga elapsi sunt. Albertus verò re benè gesta, & lectis hostium spolijs victor, ad patrem reuertit; cunctisque ex eo charus haberi cœptus, militibus pariter & captiuis reducibus, virtutem, dexteritatem & prudentiam eius prædicantibus. Quæ res magno ipsi deinceps adiumento fuit ad regnum post obi-

tum patris adipiſcendum. imò & Hungarorum, ſceptro potitus fuiſſet, niſi fortuna nouerca in medio curſu eum deſtituiſſet. Namque euocatus à nonnullis proceribus Hungariæ, bellum cum fratre Vladislao, qui ab altera parte procerum electus fuit, gerere adactus eſt. Iamque multas arces occupauerat, commiſſoque ad Eperiaſſum prælio, vix quatuor millia militum habens, cum octodecim Hungarorum millibus audacter congreſſus eſt: & iam primos hoſtium loco mouerat, ſed prægrauante multitudine repreſſus, multis fortibus viris amiſſis, ad extremum ceſſit. Cumque aliquandiu inſtaurare prœlium vellet, duobus equis in ardore pugnæ amiſſis, tertio quoque grauiter ſub ventrem ſauciato, vix tandem Eperiaſſum euaſit; parumque abfuit quin à duobus Bohemis inſequentibus caperetur, cum fracto gladio, quo ſe tueretur non haberet, ni Crupſcius eques Polonus accurrens, ſuum ipſi gladium porrexiſſet: quo quidem illi vtrumque hoſtem transfixit. Itaque Vladislaus pace cum eo facta, Sileſiam illi conceſſit, vt ſtatim Hungaria excederet. Breui autem poſt patre Cazimiro fatis ſublato, procerum ſuffragijs Rex Poloniæ creatus eſt, & à Sbigneo Archiepiſcopo Gneſnenſi, ritu ſolemni vnctus, Cracouiæ diadema ſuſcepit, gloriæ & imperij propagandi percupidus. Cæterum rex factus non pro voto ſe geſſit, fruſtraque Valachiam aſpexit vetantibus vatis: ſiquidem ampliſſimi exercitus vexilla in conſpectum chotinenſium promota, terribilis quidem primò impetus, ſed mox inanes atque irritos conatus habuerunt. Nimirum tardi ſunt rerum magnarum progreſſus, raroque tam benè cum humano genere agitur, vt incœpta generoſa ab ijs qui ſuſceperunt inoffenſo pede ſtatim ad finem perducantur. Quare inglorius viuere nequiens, vſque adeò acerbum ex animi dolore morbum concepit, vt dum bellum appararet in Pruſſiam, pauciſſimis diebus vitam relinqueret. Funus ductum pompa regali, & reliquiæ paterno tumulo illatæ tribunorum centurionumque humeris: præcedebant incompta ſigna, verſi faſces, aliaque funerum ſolemnia, etiam plebe atrata feralem vrnam ſequente, vt ſupremo erga memoriam nepotis Diui Iagellonis munere fungerentur quàm decentiſſimè. Cui & nos pro modulo hoc breue epitaphium ſubſcribamus.

Regi cui omnia viuunt, Sacrum. Ioannes Albertus, Regis Cazimiri Filius, Diuique Iagellonis

lonis Nepos; Rex & ipſe Poloniarum generoſiſſimus, cernens quam ſit Labilis Vita Humana: Ne in Mortuum etiam vis fati ſæuiret: Eodem delubro, vbi & Pater ſepultus eſt, Cineres ſuos inferri curauit: Cum inconſulti ſit, Superſtiti Sepulturæ Curam reponere. Is Auitam Paternamque Felicitatem æmulatus, cum aduerſus Tartaros, Perpetuos Poloni Nominis Hoſtes, Res egregias Bello geſſiſſet, multiſque Regijs Virtutibus, ac propriis his Viris, quos Fortunæ Calculus Mundi Gubernaculis admouit, clarus apud circumuicinos Populos eſſet, in ipſo apparatu Belli Pruſſici, Heu nefas! primam intra Iuuentam, ad Superos abiit, cum Regnaſſet Annos nouem, & Menſes aliquot. Hoſpes abi, & vale. Vbi optimi Regis Oſſibus quietem apprecatus fueris.

SIGISMVNDVS IAGELLONIDES. LXV.

ALberto Regi adijciamus Sigiſmundum eius fratrem, Heroem Summis Principibus Venerabilem, hoſtibus formidabilem, ſubditis amabilem, cæteriſque omnibus admirabilem. Qui fratre Alexandro

drø è viuis ſublato, Anno ſalutis 1507. cunctis acclamantibus, Rex Poloniæ vnctus & inauguratus eſt, ab Andrea Roſa Archiepiſc po Gneſnenſi; breuique infelices caſus Alberti & Alexandri fratrum, ſua dexteritate & felicitate, ita vindicauit, vt & præteritas clades egregiè vlciſceretur: & tot victorijs ac triumphis, non ſolum earum memoriam deleuerit, ſed nomen etiam Polonum, tot & tantis trophæis illuſtrauerit: ac ipſam Poloniam tenuem, exhauſtam, ac tot malis vexatam paucis annis florentem opibus, viris & armis potentem, claram, felicem & beatam reddiderit. Et priuatus quidem, ætateque in becilla adhuc, Valachico illi bello cum fratre Alberto interfuit; vbi cunctis trepidantibus, diffugereque à Rege volentibus, & magnanimitatis & prudentiæ ſingulare ſpecimen edidit, tumultum ſedauit, & fugam repreſſit. Eoque caſu monitus, ſuſceptis poſtea regni habenis, nunquam quenquam bello laceſſiuit, nunquam niſi laceſſitus bellum geſſit, & propterea etiam victor ſemper extitit. Perpetuoque vitæ curſu, & ſenili ætate quoque non ægrè ferebat admoneri & corrigi, vel ab humili perſona, ſi quid præter ſententiam, & etiam ſubitò ac fortuitò iuuaretur. Sciebat optimus & Sapientiſſimus Rex, maximum momentum eſſe in admonitione, quæ magna plerumque ingenia, ſed iacentia & deprauata corrigit attollitque, vnde Seneca, Omnium honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, qui admonitione excitantur, non aliter quàm ſcintilla flatu leui adiuta ignem ſuum explicat, erigitur virtus quæ tacta eſt & impreſſa. Pollebant equidem hoc dono & reliqui Jagelloniæ ſtirpis Reges, ſed quorum ille virtutes. Sic ſuperauit, vti, quæ ſingulis partitim contigere, eas vnus hic habuerit vniuerſas; nullamque vnquam vti dixi fratris malo edoctus, in hoſtes ſuſciperet expeditionem, niſi pernecesſaria eum cauſa ad id adigeret: emolumenti lucrique ſpe omni neglectu & poſtpoſita. Quapropter cum iuuenis adhuc, in Hungariam ad Vladiſlaum alterum fratrem ſe contuliſſet, tanta ibi dignatione fuit, vt Vngari & Boemi magis eum propemodum quàm regem ſuum reuererentur: per eum, quæ cuperent, publicè & priuatim à rege peterent: eius authoritati & iudicio libenter ſtarent. Et cum Glogouienſem atque Opauienſem Dominatum, & ſummam vtriuſque Sileſiæ præfecturam à Vladislao fratre obtinuiſſet, adeò charus ac venerandus Sileſijs fuit, vt hodie etiam eius imperium, grata & iucunda memoria vel ex maiorum relationibus proſequantur. Aſpectu Venerando & mirabili fuit, vultuque penè ſemper ſerio, nec ad riſum facili: inceſſu moderato, voce & ſermone ſedato: ideoque augebat intuentium viſus

ſus ipſius ſpecies. Omnibus autem regni ſui annis modeſtus, ſobrius, & omnifariam temperans, neque fortitudine, conſilio, liberalitate, magnificentia alijſque virtutibus ſeu bellicis, ſeu ciuilibus ſui ſimilem habens neminem. Tantaque veneratione propter ſummam iuſtitiam apud omnes gentes fuit, vt iuſtitiæ illius fama impulſi Sueci primum, deinde Hungari atque Bohemi, Ludouico Rege apud Mohacium à Turcis interfecto, iſti; illi verò cum Danis, Chriſtierno ob crudelitatē nimiam expulſo, huic vltrò tria maxima regna offerrent: quæ ille tamen non accepit, cum reprehenſione multorum, eorum præſertim, qui non perſpiciunt, ac multo etiam minus intelligunt, quantum ipſius regni ſit opus, Tartaris præſertim perpetuis noſtris hoſtibus Podoliam aſſiduè incurſantibus; tum quoque Valachis, Turcis, atque Moſchis, continuo Poloniæ inhiantibus. Et quantum ad Scythiam, hos ille Barbaros Sexies & Vicies proſperè vicit, hoc eſt, toties quoties excurſiones ea gens rapaciſſima & famelica, & vel è flamma, quod dicitur, cibum petere ſolita, in ditiones Poloniæ ipſo regnante fecit. Valachos multoties ſuperauit ipſo etiam Principe eorum ad deditionem coacto; tum Germanos Crucigeris Pruſſienſibus ſuppetias ferentes. Sed præcipuam gloriæ & victoriarum materiam huic regi præbuere Moſchi, quos ad Radogoſtiam, Starodubum, Veſmam, Dorohobuſum, Poloſcum, atque Smolenſcum magnis cladibus affecit. Sed præcipuè in illa Orſenſi pugna, tyrannum illorum Baſilium, bellatorem exercitatum, & contra Tartaros, & alias gentes finitimas victorioſum, & compeſcuit & perterruit, cum de octuaginta millibus maiorem partem, vna die occidiſſet, & Duces viros Illuſtres, Senatũque gentis totum, ac ſupra quater mille captiuos, cum caſtris opulentiſſimis in ſuam poteſtatem redegiſſet. Eo etiam regnante Zatorienſis ditio, & Maſouia, poſt quadringenteſimum ferè annum ad corpus Poloniæ, velut radij ad ſuum ſolem rediuerunt. Pruſſia recuſatum diu, & aliquoties excuſſum iugum accepit. Pomerani Stolpenſes ad intermiſſam aliquandiu huius regni clientelam iureiurando adacti reuenēre. Cumque Gedanenſes res nouas atque pernicioſas, non in Remp. tantum, ſed etiam in religionem moliri cœpiſſent, condigno eos ſupplicio affecit; & ætate graueſcente, filium Sigiſmundum, Auguſtum, patrio more inſigni regio euinxit. Vitæque demum & gloriæ ſatur, mortalitatem exuit, relicto regno pacatiſſimo, annum agens octogeſimum ſecundum, cum ſupra vnum & quadraginta tranquillè feliciterque regnaſſet. Princeps vt iam dixi, ſingulari pietate, prudentia, iuſtitia, fortitudine, conſtantia, tempe-

temperantia, iniuriarum obliuione (nulla enim virtute mortalis conditio propiùs ad diuinæ naturæ similitudinem accedit, quam salute multorum procuranda, ignoscendo lapsis, succurrendo afflictis, parcendo supplicibus) & aduersarum rerum tolerantia præditus: ingenio acuto, memoria felici; corpore sanus ac robustus, adeo vt ætate florenti, ferreas equorum soleas manibus diffringeret, funes canabinos crassiores rumperet, balistam manu intenderet, & chartularum lusoriarum fasciculos discerperet. Ex his alijsque si videbitur, amice Lector, colliges ipse epitaphium, quod in Pyramide sepulchri eius inscribas.

Claudit hęc vrna penultimũ Iagellonidarum sydus, Sigismundum Cazimiri Filium, Vladislai Iagellonidis Nepotem; Diuum Genus: in quo Simplicitas cum Prudentia, Lenitas cum Fortitudine, Iustitia cum Clementia, Parsimonia cum Liberalitate & Munificentia certauit. Qui Regnum Poloniæ Legibus, Opibus, Ædificijs, Humanitate, Elegantia & Gloria longe Florentius, Quam acceperat reliquit. Qui Bella cum Potentissimis Moschis, Ferocissimis Tartaris, acerrimis Valachis, fortissimis Germanis, cum Turcis denique, vel ipsa Victoriarum perpetuitate formidabilibus, feliciter gessit. Et qui ab initio suscepti Regni, ad Finem vsque Vitæ suæ, secundo flatu Fortunæ prosecutus, Hostes Nominis Poloni, vel insignibus Præ-

Præliis vicit, & profligauit, vel domuit & Tributarios sibi fecit. Cumque vnum & quadraginta Annos ita feliciter regnasset, vt eum & Subditi mitem, & Hostes mire experti essent formidabilem; Denique Octogesimum secundum Ætatis Annum agens, in quieta beataque Senectute placidissima Morte functus, Animo ad Cœlestem illam Curiam, Corpore ad Patris & Aui Lipsana, Glorioso & pœnæ Triumphali Funere elatus, Cracouiæ in Basilica Diui Stanislai, vbi ipse sibi Mausolæum viuens Superbissimum extruxerat, condi voluit. Æræ Christianæ, clↃ. IↃ LXVIII. Tu qui Legis, si pius es, Pijssimi Regis Manibus, Dic Pia Verba.

LXVI. *CONSTANTINVS SENIOR, Dux Ostrogius.*

INter Duces Sigismundi Regis, iure meritò primum locum sibi Constantinus Ostrogius vendicat, quòd eo nemo procerum Sarmatiæ bellacior fuerit, nemo collatis signis ad hanc diem pluries cum hoste conflixerit: & qui, vt Iacobus Piso Legatus Pontificius meminit, ter & tricies de barbaris victor extiterit: vtque sunt alternæ Martis vicissitudines, ancepsque fortuna præliorum, bis tantummodò, toto vitæ suæ decursu in

aciesuccubuerit. Primum in campis Viedrusijs, regnante apud nos Alexandro Iagellonide, à Moschis: deinde à Tartaris ad Socaliam in Volhynia. Dum enim temerè nimium copijs suis confidit, in medullium Moscouiæ progressus, cum quatuor millibus tantummodò equitum, cæco & imprudenti consilio, cum maximum hostium manu, conferere manum non dubitauit; quo factum est, vt à multitudine circumuentus caperetur, totoque triennio barbaro more, Princeps tam vetustæ gentis, tam egregiè indolis, ferro oneratus, pædorem cutaris perferret. Donec sacramento obstrictus, Tartaros qui Moscouiã incurrebãt, insigni prælio, ex captiuo Dux exercitus factus, superaret, & bene meritus de re Christiana, in liberiore iam custodia asseruaretur. Ex qua profugiens, Sigismundũ iam Regem post obitum Alexandri fratris in solio regali inuenit. Cui omnem operam vti fidelis subditus, contra Moscos promittens, vlcisci iniuriam suam & ignominiam statuit. Quod & præstitit prosperrimè Generalis exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ à Rege constitutus, cæsis multis in locis copijs eorum, vt hic taceam Orsensem illam celeberrimam, & cum omnibus ferè omnium gentium atque sæculorum victorijs comparandam victoriam, vbi ille octuaginta millia Moschorum bellatorum, qui omnem nostrum exercitum, non modò proterere posse videbantur, verùm etiam Borystenem tranare passi pecudum in modum flagris abigere in Moscouiam destinarant, ita prælio vicit, vt desideratorum numerus ad quadraginta ferè millia peruenisse dicatur. Et ductores eius exercitus viros illustres, omnemque senatum gentis, & supra quater mille captiuos Regi Sigismundo præsentauit. Ad Socaliam quoque secunda vice à Tartaris cæsus & fugatus fuit, quod fluuio impediente, tarde subsidio veniret laberantibus Firleio atque Herborto, qui alterum præfecti se inconsulto temere cum infinita Barbarorum multitudine manus conseruerant: quibus in acie occisis, cum reliquo exercitu, qui solummodò trium millium erat, vim hostilem solus iam sustinere nequiuit, amissisque mille ducentis equitibus, in arcem sese Socaliensem non inultus recepit. Sed & hunc pudorem quamuis aliena culpa natum, celeberrimis sæpius de Barbaris victorijs reportatis, egregiè absterfit, & tres exercitus Tartarorum apud Sluscum, tribus prælijs ad internecionem penè cecîdit. Deinde apud Visniouecium, cum Nicolao Camenecio, sex millibus suorum viginti quatuor millia Barbarorum profligauit. Ter in Volhymia prosperè deuicit, & multis alijs in locis leuioribus prælijs cecîdit, quæ sciens volensque, ne sim longior prætereo, hac vna apud Caniouiam omnibus sæculis memoranda victoria adiecta, qua

qua sex & viginti millia Barbarorum vna die occidit, & victor ad Regem Sigismundum Cracouiam cum signis captiuisque hostium properè iuit, Tum illa altera ad Pinscum obtenta, vbi similiter viginti & aliquot millia Barbarorũ Anno 1527. profligauit, ita vt paucissimi cladis nuncij in Tauricem ad suos rediren: captiuorum autẽ Christianorum quadraginta millia liberauit. His atque alijs similibus ille victorijs celebris, non adæquauit modò malorum suorum gloriam, Danielis illius pugnacissimi Ducis, atque Fedconis manu & ingenio promptissimi viri, quorum insignia facta & in patriam merita, seria Annalium narratio posteris commendat imitanda. Quorum exemplo Constantinum quoq; ipsum pro patria tot annis decertantã, animo semper inuicto, infracto, hilari, & læto, tametsi summis in angustijs plerumque constitutum fuisse tradunt, qui res eius gestas monumentis consignarunt. Qui vti diximus sinistro Matre cum hoste in Moscouia decertans, hastam cum animo non abiecit, sed egregiè vltus, milites quoque suos, qui præcellenti virtute in sustinendis periculis sese fortiter gesserant honorarijs ac legitimis donis, ad subeundos iterum labores, afficiebat. Sæpè enim cernere eos, qui superiores iamiam videbantur euasisse, mox vniuerso prælio esse victos: alios contra, qui per initia offenderant, postmodũ mutata rerum facie, summæ rei victoriam sua solertia præter opinionem omnium esse consequutos. Et sanè, si Plutarcho credimus, virorum fortium est, animi statum in periculis, rectum & immobilem conseruare: persæpè enim magni viri, in festo aliquo casu, timore & formidine, ita percelluntur, vt animum & fiduciam omnem abijciant. Qui autem salutem suam Deo committunt præter opinionem è medijs emergunt periculis, quod reapse expertus est Constantinus noster, qui dum è Moscouia fugeret, vno comitatus seruo, per viam descendit, die Dominico sacrum missæ in quodam Oratorio sacrificium audire (Quod in Moscouia ritu Græcanico peragitur, & Constantinus ipse eiusdem religionis erat) iusso seruitore iter arreptum prosequi in Poloniam, ipsi liturgia finita, acceptaque benedictione à præsbytero, per aliam viam diuertit ignotus & habitu priuato. Tum qui persequebantur fugientem minimè rati illum in tanto periculo existentem, tanto tempore alicubi præsertim inter Moscouitas hostes suos immorari, maximè autem in templo vbi omnes ad orationem conueniunt sæpissimè inter se noti; nihil immorantes persequebantur abeuntem, & Constantinus cognito ex rumore populi, quod illum ipsum quærerent, & ea rectè omnes, qua ille seruum suum præmiserat, citatis equis currerent, finito vti dixi sacrificio per aliam viam in Poloniam

niam securè peruenit, & albo Senatorio ob virtutem & merita adscriptus, Castellani Vilnensis titulum gessit & omnibus copijs Magni Ducatus Lituaniæ viginti & amplius per annos præfuit moderator, visu & auditu iuxta venerabilis, quamuis statura paruus. Cuius grauitas tantæ humanitati atque comitati coniuncta fuit, nemo vt esset tam humilis & abiectæ fortunæ, cui non ad eum perfacilis semper pateret aditus: quum ex re cum omnium Roxolanorum suorum, tum etiam mortalium omnium gratiam assequebatur: quamuis militaris disciplinæ, ad veterem normam seuerissimus exactor fuerit, quòd non semper militaribus viris placere solet, qui pro sua animo sitate licentiùs viuere cupiunt. Quapropter virum tam magnum, tamque inclytum, & non de patria modò sua, verùm de tota Repub. Christiana bene meritum nequicquam reclamantibus ijs, qui credunt extingui posse etiam sequentis æui memoriam, hoc breui elogio exornemus.

Iacet in hoc Marmore Inclytus Roxolaniæ Heros Constantinus Ostrogius, Castellanus Vilnensis, ac Summus Magni Ducatus Lituaniæ Militiæ Præfectus, Vir Manu Strenuus atque Animi Magnitudine, aliisque Virtutibus, nemini sua Ætate comparandus. Hic est ille Bellator Laudatissimus, Qui ter & tricies acie Victor extitit, semperque illustria de Hostibus Patriæ Trophæa retulit. Hic Gloriosus ille Imperator, cuius auspiciis, toto orbe celeberrima illa, de Moschis ad Orsam, de Tartaris autem ad Caniouiam, Victoria stetit: Ob eamque rem solus ex omnibus Ducibus Regum Poloniæ, iussu Senatus, Vilnæ & Cracouiæ, triumphauit.

uit. Hic est ille celeberrimus Sarmatiæ Militiæ Magister, Ex cuius Disciplina velut ex equo Troiano tot postea insignes Bellorum Duces prodiere: Et cuius Liberalitate integræ Legiones, absque Stipendiis Reipubl. in aciem sæpissimè descenderunt. Cuius eximia Bonitas, Constantia, Æquitas & Munificentia tanta, quanta in nullo antea Ducum Ostrogiorum, à Scriptoribus commendantur. Viator, si pie Patriam amas, Dic Magni Herois Ossibus pia Verba, atque Deum roga, vt similes quamplurimos Ciues nobis duit.

LXVII. *CONSTANTINVS IVNIOR, Dux Ostrogius.*

SVccessit Constantino inclyto Duci, vnicus filius itidem Constantinus, Kiouiensis Palatini titulo in Repub. clarus, haud degener sanguis à paternis laudibus atq; virtutibus: qui, nec sumptui vllo, nec labori, nec vitæ ipsi denique pepercit, vt Roxolanarum Prouinciarum dignitati ac libertati consuleret. Cuius vicaria opera viuens adhuc & Senio confectus pater in bellis, & grauissimis quibusque negocijs, magno omnium fauore & beneuolentia vsus fuerat. Qui postmodum ætate grauis & multa copia honorum, proprijs auspicijs, regnante Stephano Balthoræo, Moscouiam ingressus, ad Starodubum, Radehostiam & Podczopouiā obuia quæque suis cum cohortibus peruastauit: paternæque laudis æmulator factus, & principem.

cipem locum in Russia studijs ciuilibus adsecutus est, & de barbaris feliciter sæpius profligatis triumphauit: nemoque illo nostra ætate vehementius atque felicius arma Tartarorum exercuit, nemo frequentius post obitum patris eius acie victor extitit. Qui vt vetustis opibus ingens erat, eximia in pauperes & milites munificentia fuit. Omnibus enim qui illum adibant, benignum & liberalem se præbere: miseris etiam & abiectis, qui in foro & plateis palàm mendicabant, non pecunias solùm & res ad victum necessarias, sed etiam decentem corporis vestitum subministrandum curare solebat. Et quod maximè principem virum dignum putes, offensarum inimicitiarumque minimè memor erat: (siquidem hæc est celeberrima virtus, & vt inquit Quintilianus, animi suspiciendi moderatio, vincere iram, & inter simultates quoque, vincere animum.) Cui certè non animi dotes solùm, sed & corporis etiam ornamenta affuere, statura procera, robur & agilitas par, sagittandi equitandique summa peritia, summa in rebus agendis felicitas, laboris & incommodorum cœli tolerantia, par victus frugalitas, & ex eo valetudo prosperrima. Et quem per omnia maiorum suorum virtutibus simillimum, ad posterorum imitationem & exemplum, hoc breui epitaphio decoremus.

Vides hoc Mausolæum Viator? Opus est magnificentissi. ac prudentissi. Principis Constantini, Æternæ parentis memoriæ positum ac consecratum: Quod ille non Thesauris congestis refertijt, sed Lipsanis omni auro gemmisque potioribus Fortissimorum ac Gloriosissimorum Ducum Ostrogiorum, in quo quasi longo quodam itinere defessi postremum requiescerent, ac simul cum illo, Moscouiticis Tartaricisque Bellis defatigato, atque omnibus suis Posteris, Supremum Mundi Diem expectarent.

ROMANVS OSTROGIVS. LXVIII.

COnstantino iuniori, adijciamus fratrem patruelem Romanum, Senioris constantini nepotem, belli ac togæ dotibus eminentissimum sæculi sui virum. Qui adeò oris dignitate renidebat, vt quod alij armis, ille oculis ageret in hostem: natura siquidem impiger, & ad rem militarem factus videbatur, itemque æstus iuxtà ac frigoris, laboris & inædiæ patiens, somni parcissimus, victu cultuque corporis non multum à gregarijs militibus differens, licet longa maiorum opulentia fuerit clarus. Idem alieni abstinens, de suo munificus, facilitate & liberalitate militum studia & voluntates tenere solitus: quibus artibus atque studijs summam sibi hominum suorum charitatem comparauerat. Is itaque cum patruo Constantino, tam Scythicis quam Moscouiticis bellis, cum suis turmis semper adhæsit, & in illa Canionienss pugna, ante primam aciem, operam tam fortem, quàm felicem præstitit, vt & famam strenui peritissimique Ducis consecutus esset. Erantque res eius bello gestæ, cum victoriarum pondere, quibus cum patruo semper interfuit, tum magnitudine euentuum, & quadam perpetua atque felici cursus celeritate mirabiles. Verum fortuna quæ lubrica est refragante, cum summam de se expectationem omnibus daret, in pugna cum barbaris ad Buscum, sagitta traiectus interijt, quum fugientes Tartaros, ardore & ferocia iuuenili longius insequeretur, vix Constantino patruo non inspectante, & ita mortem nepotis charissimi Vlciscente, vt quotquot tum Barbari in acie erant, ad internecionem fuerint cæsi omnes. Ego hic epitaphium illi quasi à tota Russia positum subijcio.

Quis hic iacet rogas Viator? Breuiter edisseram. Romanus Ostrogius, vehementis Spiritus princeps, Constantini illius inclyti Bellatoris charissimus ex Fratre Fedcone Nepos. Qui

Forma velut alter Abſolon decorus, Sermone promptus, Ætate vigens, Strenuus Manu, & Armis Equiſque in patrium Morem exercitus, nuſquam Bella contra Tartaros, Valachos, aut Moſchos omiſit, ſed pernox perdiuſque in Caſtris & Contubernio patrui, vt erat vetuſtis opibus ingens, integras Veteranorum alas, pro patriæ incolumitate, Sumptibus propriis alebat: pro qua & mortem oppetiit, ad Buſcum Sagitta à Barbaro traiectus. Quamobrem non Amici modo, aut Cognati eum luxere, quos Magnis Largitionibus fouebat, ſed tota quoque Roxolania ingemuit, orbata Viro, qui tunc lumen Sarmatici Orbis debebat fore. Quem cum viuum mœſtiſs. patrus ſeruare non potuit, Conditio hic militari more Cadauere, pijs Lachrimis ad Superos conſcendentem proſecutus eſt.

MICHAEL GLINSCIVS. LXIX.

NOn minus audaci, quàm ſagaci ingenio Michaël Glinſcius fuit, qui apud Germanos annorum amplius duodecennio rei militaris minimè vulgari peritia acquiſita, vix credibile memoratu eſt, quantas regiones pera-

peragrauit, vt & vrbium omnium ſitus ac regiones cognoſceret, & vt omnium pænè Europæarum linguarum peritiam aſſequeretur. Variant enim hominum ingenia, & ſunt tam ciuitatum, quam ſingulorum hominum mores diuerſi, quos viri militares non ignorare debent, finitimarum præſertim, quibuſcum non raró negocium eſt nobis. Is poſtquam in aula multos honores feliciter percurriſſet, & in Senatum vocatus, Supremi Marſalci, Magni Ducatus Lithuaniæ, officium geſſiſſet, tandem æmulorum, qui ægris admodum oculis adſpicientes ſecundam eius exiſtimationē creſcere (ſiquidem apud Alexandrum Regem Summum locum atque authoritatem tenebat) illum apud Sigiſmundum fratrem eius, cum alias ſemper, tum maximè cum regni habenas poſt obitum Alexandri ſuſcepiſſet, criminabantur. Huius enim gregis hominum in Principum aulis magnus eſt numerus, & vberrimus ſemper prouentus, qui peruerſis & malignis præditi ingenijs, vitijſque obruti, cum virtute emergere non poſſint, prauis innixi ſtudijs, & verſutia ſcelerata audaces, calumnijs & delationibus aliorum, in Principum fauorem malitioſe ſeſe inſinuant: & his inuidiam conflando, illos in ſuſpicionem vocando, odiaque & diſcordias paſſim miſcendo, ex aliorum iniurijs & oppreſſione ad opes ingentes anhelant. Igitur Glinſcius in feruenti gratia apud Alexandrum Regem, animi ſui elatione cauſam eiuſmodi rumorum de ſe aulicis vltrò præbuerat, magnaſque in Lituania opes & potentiam atque clientelas, Ruſſorum præſertim eiuſdem linguæ & Religionis hominum ſibi comparatat. Ægrè id ferebant Lituani proceres, alioqui etiam Ruſſis non ſatis æqui: formidabantque ne per occaſionem is Alexandri orbitate contempta Lituaniæ Dominatum inuaderet, & ad ſuos Ruſſos transferret. Vt enim rectè Orator noſter monet, maximis animis, ſplendiſſimiſque ingenijs, plerunque exiſtere honoris, imperij potentiæ atque gloriæ cupiditatem; quod maximè in illo elucebat poſt obtentam de Barbaris ſub occaſum Regis Alexandri victoriam, qui tum moribundus iam Vilnæ decumbebat. Cum enim Tartari ad Cleſcum oppidum haud longè à fontibus Nemenis fluuij ſitum, cōſtipati perueniſſent: relictis ibi duobus Soltanis (ſic illi Principum ſuorum filios vocant) cum decem millibus equitum, ad quos ipſi receptum habituri eſſent, cæteri ad viginti millia turmatim quoque verſus populabundi excurrerunt. Glinſcius verò cum ſeptem millibus equitum ſuperueniens, illa decem millia profligauit, priuſquam reliqua agmina, quæ diuerſa & palantia prædas agebant eò ſeſe recollegiſſent. Vbi Glinſcius magnam non ſolum egregij Ducis, verum etiam ſtrenui militis reportauit, tribus in ea pugna equis

amiſſis, qui ſub eo confeſſi fuerant. Neq; tamen hac ille victoria contentus fuit, ſed reductis ad hoſtium ſtatiua copijs, tacitus ibi conſedit, operiens donec cæteri, qui prædatum longè lateque excurrerant, caſus ſuorum ignari ad ſtatiua, quemadmodum inter eos conuenerat, reuerterentur. Nec eum ſpes fefellit, poſt quatuor enim dies eo turmatim reuerti incipientes, vt quique primi venerant, excepit, & magna ſtrage concidit, ita, vt viginti millia barbarorum tunc illis prælijs cæſa, totidē equi capti memorentur. Præda omnis excuſſa, & ingens captiuorum numerus liberatus: quin & antea ſæpius prælijs ille cum gloria interfuit & barbaros proſperrimè cecidit; ſed hac potiſſimum victoria elatus, ſecundaque fortuna ad ſuperbiam prolapſus, popularibus ſtudijs inhiare Dominationi cœpit. Cuius rei inſimulabatur ille apud Sigiſmundum Regem à Ioanne Zabrezinio Palatino Trocenſi, cum quo ſemper familiariſſimè vixerat. Fraterna ſiquidem charitate inter ſeſe coniuncti, pari ſpe, parique induſtria militarunt, donec ambitione & ſuperbia concitati ex amicis hoſtes facti ad extremum vſque Spiritum. Atque hic eſt effectus ambitionis, quæ nos ab orbita rationis abducit, & tranſuerſos ſemper agit, eoque nos impellit, vt de morte eorum cogitemus, pro quibus & ante quos mori votū habueramus. Itaque affectus ab eo calumnia Glinſcius, coram Sigiſmundo Rege obiectum crimen diluere tentauit: nec reculabat, ſi ambitus conuictus fuiſſet, capitis ſupplicium ſubire. Cæterum Sigiſmundus protrahere, Glinſcium ad intimum cubiculum non admittere, (quò, rerum potiente Alexandro, liber ei ſemper acceſſus patebat) tanto magis Zabrezinio eum criminante, cum alijs Lituaniæ proceribus, qui potentiam eius ferre non poterant. Inſita etenim mortalibus natura recentē aliorum felicitatē ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre. Igitur tanto magis vir elatæ mentis excruciari, & ad Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem ire contendit, eo conſilio, vt datis ad Regem fratrem, necnon ad Regni Poloniæ proceres literis, eorum interceſſione, ſuſpicione affectati Dominatus, qua videbatur iniquè prægrauari, eximeretur. Sed ne ſic quidem liber euaſit: multique ſemper boni viri talibus delationibus prægrauantur, quia non audiuntur excuſationes ipſorum, & nimium delatoribus aſſentiuntur Principes, re non explorata. Reuerſus itaque in Lituaniam poſteaquam affectati Principatus crimen diluere non poſſet, & Regem ſibi iratum eſſe animaduertiſſet. Moſcum cum exercitu in Lituaniam aduocauit: Zabrezinium Groduæ ſecurum, nilque mali metuentem nocte intempeſta, cum ſeptingentis equi-

equitibus ſuperueniens, crudeliter obtruncauit; munitiones quaſdam Reipub. occupauit, & fratrem Baſilium, proceresque non nullos in partes ſuas pertraxit: atque ſic magnum bellum contra Regem & patriam excitauit: ipſeque cum Baſilio fratre, ac omnique cognatione ſua, rebus omnibus apud Lituanos exutus in Moſcouia exulauit: Quum plerumque nihil altius in magnatum pectora deſcendat, quam offenſarum memoria, cupiditaſque vindictæ, licet odium & iras ad tempus concoquant ac diſſimulent. Et iam certè Sigiſmundo Regi reconciliatus fuerat, cum interim nonnulli ex proceribus Lituaniæ, admonuiſſent Moſcum, qui Glinſcij reditum in patriam & gratiam regiam inuidebant. Quare Moſcus compedibus conſtrictum, arctiſſimè cuſtodiendum curauit, nec dimiſit, quamuis cum filia fratris eius Baſilij nuptias celebraret tum temporis; Et ſic interijt pædore carceris, vir meliore fortuna dignus, ſi patriæ libertatis aſſertor, quàm inuaſor eſſe maluiſſet, aut certè ad tempus patiens fieri voluiſſet. Qui quamuis perduellionis crimine ſit notatus, epitaphium tamen quod inſcribi poſſit, iuſtum debitumque tantæ eius virtuti minimè denegandum cenſuimus.

Amice qui iſthac tranſis, etſi properas, Lapis hic te rogat, vt pauliſper inhæreas, & hęc Scripta legas. Hoc in Tumulo iacet Michael DUX Glinſcius, Supremus, MAGNI DUCATUS Lituaniæ, MARſalcus: Clariſſimis ortus haud dubie Natalibus, longaque Opulentia clarus. Qui omni Polita DOctrina excultus, & ex longa Peregrinatione, vſu Rerum, canaque Prudentia, atque Linguarum multarum cognitione inſtructus, Principem LOCUM Gratiæ, apud Alexandrum Regem obtinebat; MAXIMÈ inſigni illa Victo-

 ria,

ria, de Tartaris ad Closcum, reportata: Cæterum insolentis Fortunæ Ludibrio præcipitatus, & ab inuidis, perduellionis apud Sigismundum Regem accusatus, quum impatiens æmuli, & animo commotior esset, ad Moscum cum tota sua cognatione transfugit, & aduersus Patriam suam nefaria Arma sumens Magnum Bellum conscitauit; Persequenteque eum Nemesi Diuina, Tyranni illius iussu, Vitam in Carcere indignabundus expirauit. Dignus, si Fortuna Virtuti fauisset, Melioribus Fatis.

JOANNES SVIERSCZOVIVS. LXX.

QVi res publicè priuatimque gestas bona fide posteris prodiderunt, etiam Ioannem Suiersczouium cathalogo fortissimorum virorum adscripserunt, qui equestri familia natus, vastante regiones proximas Mocouitico tyranno, Alexandri Regis temporibus, sub Ioanne Chodkienuiscio stipendia prima in Lituania fecit. Meruit & sub Stanislao Kiszka in Liuonia, sed breui tempore. Verùm cum ad Constantinum Ostrogium peruenisset, qui etiam infimi generis homines ad amplissimos honores prouehere solitus erat: factus ab eo Tribunus in maiore, omnium reputatione, versari cœpit. Et successu temporis multum addidit dignationis viro, alioquin omni laude cumulatissimo, de cuius admirandis dotibus, nihil tam splendidè dici potest, vt ad meritorum sublimitatem assurgat, quod in castris & contubernio eius tam diu perseueraret. Igitur à Rege sapientissi-

pientissimo Sigismundo Primo copijs Polonicis præfectus, collega Duci suo fuit datus, cumque eo in illa insigni victoria Orsensi, rem fortiter gessit. Cumque Rege ipso deinde ad Smolenscum, & ad Polociam castris positis, prælia felicia cum Moscis habuit. Similiter ad Plesconiã, cum Duce eodem Ostrogio missus, ingentem prædam abduxit, cum captiuis multis. Vielicolucensem quoque & Toropecensem agrum Anno à Deo homine 1517. populatus est. Interfuit etiam pugnæ cum Tartaris ad Lopusnam, vbi Camenecius cum Constantino Ostrogio, viginti quinque millia profligauerant. Deinde ad bellum Prussicum, contra Crucigeros Nicolao Firleio Duci exercituum Polonicorum Generali, (vti erat bellicæ rationis & multi consilij apprimè gnarus) collega datus, Bronsbergam diuturna obsidione fatigauit, plurimis defensoribus in oppugnatione occisis, multaque alia digna memoratu illa expeditione fecit. Quapropter posteris ad exemplum, sepulchrum eius ornare voluimus cenotaphio.

Deo Trino & Vni. Ioannis Suiersczouii, Castellani Vislicìensis, & apud Sigismundum Primum, Regem Poloniæ Sapientissimum, Exercituum Pole-marchi: Summorumque illa Ætate inter Sarmatas Bellatorum, Constantini Ostrogii, & Nicolai Firlei, Collegæ: Animi Magnitudine, & Artibus Militiæ præstantissimi: Cuius præclara in Remp. Bellis Tartaricis, Moscouiticis; atque Pruthenicis, Merita extant: Humana hic Ossa quiescunt. Lapidea hæc memoria illi posita est. Anno.

JOANNES SVIERSCZOVIVS ALTER. LXXI.

FVit & alter Regnante Sigiſmundo Auguſto, eiuſdem familiæ, inter Coſachos Zaporozenſes, Ioannes Suerſczouius, ob peritiam rerum bellicarum Tribunus ab illis factus, atque illi Magnanimo Iouniæ, Valachiæ Palatino (cuius res geſtas, in vita Sigiſmundi primi, libro quarto, ſufficienter deſcripſimus) ſubſidio contra Turcas, cum mille ducentis veteranis miſſus, florente tum & feruente, vt res nouæ ſolent Coſachorum militia. Itaque bello illo durante, cum alibi ſæpiùs tum ad Tebiniam atque Brailouiam maximè Turcas cecidit, & in extremo illo conflictu, quando ab illis captus fuit, nullum non conſtantis Ducis, aut fortiſſimi militis officium dimiſit. Sicq; acerrimè (Iuonia iam deditione faciente) cum barbaris illis decertauit, vt omnibus amiſſis, cum tredecim ſolummodò commilitonibus caperetur: idque armis à multitudine obrutus & pænè exanimis. Curatus nihilominùs ex vulnere Conſtantinopoli, & lyntro poſtea ingenti eliberatus, cum ad ſuos incolumis redijſſet, ad extremum vſque ſpiritum illam ſuam iniuriam vindicare non deſtitit, ſæpiuſq; mare ingreſſus Thraciæ & Ponti littora peruaſtauit. Inque illa ſua occupatione & vitam totam conſumpſit, nullum aliud iuſtius bellum exiſtimans, quàm quod pro religione ſumitur. Et ea denique vera æternaque gloria principum Chriſtianorum exiſtimari debet, quàm res præclarè in hoſtes fidei geſtæ commendant. Suierſczouius verò tot caſibus, torque prælijs exercitatus, hoc in magno ſemper habuit, vt locorum nimirum ſitus & ingenium, per exploratores, aut per ſe cognoſceret; quod non abſque iniuria Onoſander Strategicus in bono Imperatore requirit. Nam & priſcos illos qui maximè diſciplina militari valuerunt, loci ſemper ingenium attendiſſe in confeſſo eſt. Et Iuonia ipſe, non aliam ob cauſam ad Cziporouicios, atque Brailouiam trophæis hoſtium potitus eſt, niſi quòd ſitus locorum Suierſczouius primum probè inueſtigaſſet: qui vt cæterà accuratus indagator, ita & hic totam ingenij aciem intendiſſe fertur: noctuque caſtra mouens, & vaſa colligens, ignes per ea loca in quibus caſtra Iuonia metatus erat, accendi iuſſit, datis inſuper tergiductoribus in mandatis, vt retro conuerſi in barbaros irruerent, quando illi ad locum caſtrorum progrederentur. Ipſe autem per circumiectos mòtes à tergo hoſtem aggreſſus, initium pugnæ vnde minimè ſperabant fecit, atque ſic victoriam de Muſulmanis peperit. Ergo viro de re Chriſtiana optimè merito, cum aliter parentare non poſſumus, ſaltim hac breui epigraphe memoriam ad poſteros tranſmittamus.

Scopus Vitæ Chriſtus. Ioannes Suierſczouius, Cozachorum Zaporozenſium Tribubus primum, Deinde Generalis Præfectus: Rerum Bellicarum, Terra Marique peritiſſimus; Equeſtri Familia in Maſouia natus: Subitus Conſilijs, ſed euentu clarus: Magnanimique illius Iuoniæ Daciæ Reguli, Victoriarum de Barbaris Pars Maxima: Varijs & ipſe ærumnis exercitatus: Totam Ætatem Vitæ, in Bellis contra Hoſtes Crucis conſumpſit. Cumque è Captiuitate Turcica rediens, Thraciæ Littora, Conſtantinopolim vſque Liburnicis Præteruectus, peruaſtaſſet: Maximè acer & pugnax à ſuis Coſachis, vigilantiaque. Item & integra Fide, præclarus Dux, exiſtimatus eſt.

STANISLAVS KISZKA. LXXII.

MVltis in familia ſenatorijs imaginibus præclarus Stanislaus Kiſzka, à principio ſtatim ætatis, & re & æſtimatione magna fuit. Amplis enim innutritus opibus, honores in patria, & adeptus eſt facile, & egregiè adminiſtrauit, & in bellis ob rem ſæpiùs proſperè geſtam, ingentem gloriam eſt conſecutus. Cum etenim aduerſus Ioannem Magnum Moſcouiæ Ducem, Conſtantinus ille Oſtrogius, in campis Viedruſſys, ſiniſtrè & infeliciter pugnam pugnaſſet, Stanislaus Campeſtris Ducis titulo collega illa datus, in ea exercitus perturbatione, præſtantis & ſtrenui Ducis, acerrimique bella-

bellatoris officio, nullo in loco defuerat. nihil enim magis generoſas mentes erigit, quàm malorum impendentium metus, & ſimilis alienæ miſeriæ perferenda calamitas. Cumque iam Conſtantinus à multitudine circumdatus & equo excuſſus eſſet, non prius prœlium omiſit, quam cunctis occiſis circa ſe, etiam Conſtantinum in poteſtatem hoſtium deueniſſe cognouiſſet. Deſperata itaque victoria, non minore periculo, quam & Conſtantinus poſitus, inſequentium Moſcorum manus effugit. Contra quos denuò à Sigiſmundo Primo miſſus cum copijs ad Veſmam, quæ arx munitiſſima ad flumen eiuſdem nominis poſita medio fermè ſpacio eſt, inter Smolenſcum & Moſcouiam metropolim, arcta eam obſidione fatigauit, quæque circa eam arcem erant, ferro flammaque depopulatus eſt. Quique à Moſco ſummiſſi fuerant, ad prohibendos populationes, aliquot particularibus conflictibus vicit: nec ancipiti ipſe vnquam fortuna, præterquam ſemel vti dixi, in campis Viedruſijs Conſtantino iunctus, dimicauit. Cuius, ob egregia in Rempubl. merita, hoc breui epitaphio ſepulchrum ornemus.

Stanislaus Kiſzka, Equitum magni Ducatus Lituaniæ magiſter: Vir Gentis Nobilitate, & militari Gloria clarus; ſed & probitate & publicæ Quietis Studio clarior, hac quieſcit Humo. Hic cum alibi toties, tum ad Veſmam potiſſimum profligatis moſcouitis, inſignia Patrum, & decora magiſtratuum, inter Sarmatas ſuos Honorificentiſſimè geſſit: Demum pertinaci induſtria, ſingularique Labore, & incredibili Vigilantia, aditum ſibi, ad militaris Imperij Nomen patefecit. Quem cum in ipſo Gloriæ curſu, mors improba eripuiſſet, ſuperſtites pietatis ergo poſuerunt. Anno.

73. IOAN-

LXXIII. *JOANNES BORATINIUS.*

INter Chiliarchas Sigiſmundi Primi Regis, Poloniæ, haud poſtremum ſibi locum vendicat Ioannes Boratinius quoque, acer & animoſus eques; qui cum alibi plurima virtutum ſuarum ſpecimina edidit, tum ad Poloſcum pulcherrimum fortititudinis ſuæ exemplum, reliquit quum duobus millibus Polonorum, ſeptem millium Moſcouitarum exercitum ad internecionem pænè deleuiſſet, repottatiſque opimis ſpolijs, miraculosè victor de hoſtibus extitiſſet. Quum etenim Duina fluuius vado tranſiri non poſſet, adoleſcens quidam candidus totus, Boratinio vadum diligentius ſcrutanti, apparuit exclamans hac, hac me, inquit ſequimini. Quibus dictis in flumen inſiluit, & ad ripam vlteriorem progreſſus diſparuit, quem Boratinius cum cataphractis ſecutus fluuium ſuperauit: & aggreſſus hoſtes ſtragem ingentem in eis edidit, & caſtris potitus eſt. Adoleſcens verò ille, Beatus Cazimirus, Sigiſmundi Regis frater creditus eſt fuiſſe. Boratiniuſque à Sigiſmundo, vti is natura Rex erat omnis veræ virtutis liberaliſſimus æſtimator, præfecturis honeſtatus fuit. Sed addamus etiam breue ſepulchro epitaphium.

Hic iacet fœlix ille, Polonicarum Cohortium Tribunus & Vindex, Ioannes Boratinius, Præfectus Rohatinenſis. Vir Patriæ amantiſſimus, cuius integritatem Heros Fortiſſimus, vel proprio Sanguine conſeruare non dubitauit, parua manu ſuorum, Iuſtum Moſcouitarum Exercitum, ad Poloſcum aggreſſus. Facinuſque perfecit, cui merito, Seculorum omnium,

T Grata

Grata Poſteritas, Anniuerſaria celebritate, DIuum Cazimirum HONORANS, GRATULETUR. Abiit è viuis in bona Senectute, ad Viuos, qui in Domino mortui, Sanctitatis præmia ſunt. Conſecuti. Anno.

NICOAVS FIRLEI. LXXIV.

PErpetua Iagellonidarum gloria, per ducentos & amplius annos, licet propria & innata illorum ipſorum virtute floruerit, contulêre attamen ad eam & adminiſtri regni, prudenter ab illis rerum tractationi admoti, quamplurimum momenti: quos inter fuit & Nicolaus Firlei, ſummis honoribus apud Sigiſmundum Primum fructus, & in his cum ſumma laude ac virtutis opinione verſatus. Qui iuuenis in Podoliam primum à parentibus miſſus fuit, vt ſueſceret militiæ; ſtudiaque exercitus, ſub magno illo viro Andrea Odrouenſio pararet. Etenim cæteræ artes vſu, lectioneque tantùm percipiuntur, hæc ſola rerum experimentis : corpuſque inde fit validum, laborum tolerans, æſtus iuxta ac frigoris patiens: atque hunc, quod maximum eſt, ſtudia militum parantur; deniq; non animus parentũ indulgentia deprauatur, delicijs non hebetatur, vrbanoq; demum luxu nõ laſciuit. Quod in Firleio Rex Cazimus Iagellonides vno obtutu pernoſcẽs, vt primùm cum in aula ſua vidit, ad Baiaretẽ ſecundum Turcarũ Imp. Oratorem eum ſuum ſtatim fecit. Vnde rebus ex voto confectis reuerſus, ſub Alberto & Alexandro Regibus Poloniæ, Tribuni titulo ordines duxit, & Senatoriam dignitatem adeptus, Lublinenſis Palatinus vocitari promeruit. Tum à Sigiſmundo Primo, contra Baſilium Magnum Ducem Moſcouiæ, & rebellem Glinſcium cum exercitu miſſus Polemarchi titulum tulit. Et hoſtes ad Boryſthenem hærentes, regioſque tranſitu impedire conantes, cum aliquot peditum turmis, cum vadis diuerſis fluuium ſuperaſſet, magno animo adorſus, ita loco pepulit, vt poſtea nuſquam, iuſto prælio congredi cum illo auderent; licet ſexaginta bellatorum millia in caſtris haberent. Diffugerant etenim Starodubum vſque: & ille agro hoſtili deprædato, cum ingentibus ſpolijs ad regem redijt. Et ſtatim in Pruſſiam, Palatini Sendomirienſis honore auctior contra Crucigeros iuit, illud App. Claudij ſæpiſſimè vſurpans. Aut bellum ſuſcipere non oporret, aut gerere pro dignitate & perficere quamprimum oportet. Igitur terris eorum deuaſtatis, continuo victoriæ curſu decem arces vallo ac foſſis munitiſſimas cæpit : reliquas longa obſidinone atque oppugnatione perdomuit: & bellum totum triennio confecit. Licet loca fuerint pleraque ſitu & opere, validiſque præſidijs munitiſſima, quæ diuturnam obſidionem tolerare, & victoris exercitus curſum remorari facilè poterant. Quapropter ab omnibus plurimi æſtimatus & à Rege ſapientiſſimo Caſtellani Cracouienſis titulo ornatus, ætate prouecta è vita ſublatus eſt. Cuius ſepulchrum hoc breui epitaphio cohoneſtemus.

Iacet ſub hoc Marmore, Summus Polonæ Militiæ Magiſter, Nicolaus Firlei, Caſtellanus Cracouienſis, per omnes MILITIÆ GRADUS ob Virtutem euectus. Dignus PLANCTU, Lachrymiſque Illuſtrium Succeſſorum. Cuius Heroicam Fortitudinem, Extimuit ad Starodubum immanis Moſcus: Perſenſit Ferox in PRUSSIA Theutho: Admiratus in Iuuene adhuc Baiazetes II. Turcarum Tyrannus. Cuius eximia Bonitas, Liberalitas Summa, Chriſtianæ PIETATIS cultus, LAUDATAQUE olim, & MILITARI Fama celebrata Seueritas eius, etiamnum à Viris priſci moris, memorantur. O Rerũ Humanarũ inconſtans exitus. Obiit Anno qui nuſquam mori debebat.

LXXV. *JACOBVS SECIGNEVIVS.*

DIu militauit Iacobus Secigneuius, ſub Conſtantino Oſtrogio, atque Nicolao Camenecio, Ducibus omnium ſeculorum memoria digniſſimus: Et legionis vnius factus in Podolia Præfectus, ingruentibus inopinato Tartaris ad Zincouiam obuiam profectus, adeò fortiter & alacriter ſe geſſit, vt inuſitata virtute deletis hoſtibus inſigni victoria poteretur. Tandem cum Nicolao Firleio contra Crucigeros Pruſſienſes profectus, Germanos prouinciam illam ſibi vendicantes, apud Pruſmarcum, Seburgum, Guteſtadiam, Bronsbergam, Reslam & Raſtemburgum, prœlio felici fudit & fugauit. Verum ad Heilspergam maximum fortitudinis ſuæ ſpecimen declarauit; vbi cum Magiſter Ordinis Theuthonici, murum tormentis ſtrauiſſet, & oppugnare noſtros acerrimè iam incœpiſſet, Secigneuius cum mille equitibus à tergo ſuperueniens, per medias hoſtium turmas tranſgreſſus, & multos ex eis occidit, & aditum Magiſtro prohibente, Summa vi cum ſuis in oppidum irrupit. Miſſoque caduceatore ad illum, rogauit quo fine longiori mora oppugnationem inſtituere vellet, quem ſtans pro muri ruina cum ſuis equitibus expectabat. Magiſter fortis viri offirmatum animum videns, ſoluit ſtatim obſidionem, nil amplius tentans: Secigneuius verò abeuntem proſecutus, multos ex militibus eius occidit, multos cœpit. Iterumque venientem Magiſtrum cum maioribus copijs fortiter repulit: & locum fidei ſuæ commiſſum magna virtute atque conſtantia, vt ante, tutatus eſt. Interfuit & illi prœlio cum Tartaris ad Lopuſnam, vbi viginti quinque millia barbarorum à Camenecio & Conſtantino Oſtrogio fuerunt proſtrata. Tum & cum Stanislao Leſniouoſcio, in illo conflictu cum Moſchis ad Neuelam regnante Sigiſmundo Auguſto, vbi mille quingentis equitibus, quadraginta Moſcorum millia, miraculosè fuerunt profligata. Ergo viri tam optimè de patria meriti pios manes, hoc Cenotaphio erecto, ad memoriam poſterorum, veneremur.

Iacobus Secigneuius, Præfectus Buſcenſis, ſub tribus Memoratiſs. Sarmatarum Ducibus: Con-

Conſtantino Oſtrogio, Nicolao Cameniecio, & Nicolao Firleo: Bellis, Tartaricis, Germanicis, & Moſcouiticis, vnius haud in- Legionis Præfectus: Vir Patriæ amans, & Ciuis dignus Memoria Gratæ Poſteritatis: videns Mortales omnes, hunc ſuis, Poſterorumque ſuorum Oſſibus, quietis Locum in Vita parauit.

ALEXANDER ILOVIVS. LXXVI.

IS è Nicolai Firlei ſchola, per omnes militiæ gradus nauiter aſcendens, clariſſimus bello Dux euaſit: cumque illo in Pruſſia ſtipendia faciens, Tribunus militum ob ſingularem virtutem creatus, Germanos ad Heilſpergam feliciter fudit. Et quadam vice cum Ducentis equitibus egreſſus, infeſta omnia crebris excurſionibus circa Marieburgum reddidit, carpentaque omnia & currus, quibus commeatus ad caſtra hoſtium vehebatur intercepit, cumque præda opima poſt dies aliquot ad ſuos redijt. Cum quibus excurrendo de nouo, ita agrum hoſtilem vniuerſum peruaſtauit, vt caſtra Crucigerorum fame affligerentur: cum quibus & præliatus eſt aliquoties feliciter. Iterumque Helsberga egreſſus, centum quinquaginta pagos exuſſit, & peditatu hoſtili profligato, copioſa onuſtus præda victor ad ſuos redijt. Et paulò poſt ad Guſtadium proſperè cum hoſte conflixit, captis nobilioribus aliquot Ductoribus Crucigerorum, quos Regi Torunium ad Comitia miſerat: multiſque alijs fortibus factis, pugnaciſſimi Ducis laudem conſecutus fuerat. Quem hoc breui epitaphio condecoremus.

Alexandro Ilouio, morum ſuauitate, animi Can-

Candore, Militiæque Artibus claro: ac ob id Equitum in Bello Prussico Tribuno. Qui cum sæpius de Hoste, cum Nominis Sarmatici Gloria, Insignia Trophæa retulisset, interque Sigismundi Primi Regis Poloniæ, reliquos Duces, suis meritis conspicuus esset; Grata Posteritas, Pie, Religioseque Supremo, Die Functo, Hanc ei Laudum struem, Memoriæ Causa, posuit.

LXXVII. *PRÆDISLAVS LANCKORONIVS.*

MAgna equidem rerum gestarum laude & gloria, & disciplina Constantini Ostrogij, Prædislaus Lanckoronius inter Russiæ accolas floruit: sed non postremam certè ad eam assequendam, rerum bellicarum peritiam, partim ex literis, partim ex diuturna peregrinatione attulit. Siquidem lustrata vniuersa Europa, etiam Hierosolyma & barbarorum diuersa regna adijt, vbi multa ad rem militarem spectantia perdidicit: & in patriam reuersus ad suum vsum conuertit, inque re militari, integræ phalangi præfectus, & commutauit multa & instituit: atque etiam ad antiquum morem morem nonnulla reuocauit, & disciplinam seuerè rexit. Inprimis autem cum Ostaphæo illo Roxolano, Cosachorum Zaporosensium authore, cum mille Ducentis equitibus ad Oczacouiam excurrit, & Tartaris cæsis & victis, triginta pecudum millia & quingentos equos inde abegit. Deinde Turcas ad Bialogrodum, quod & Moncastrum vocant, prosperè prœlio profligauit. Itemque Germanos Prussiam inuadentes, multis in locis, cum Ioanne Zaremba, & Andrea Tencinio, cruenta clade affecit, captiuis ad Regem Sigismundum Primum Torunium missis:

missis: Et bello eum Crucigeris finito, in Podolia semper contra barbaros excubias gessit, prisci decoriq; moris existimans, clare stirpis virum, non aliter apud posteros, quam militia, notescere. Cui ob egregias virtutes, nomine fratris hoc Cenotaphium erigamus: certe enim vtrique ingentes animi corporisque dotes affuere, statura procera, robur & agilitas par, disciplinæ militaris & gloriæ appetens; periculorumque contemptor animus, non tamen vt ad ea subeunda prudentia deesset: multarum præterea rerum peritia, liberalitas egregia, felicitas summa, & quod in Duce haud aspernas, militum eximius fauor, quos illi magna post prælia saucios, largitione & cura sustentabat.

Prædislao Lanckoronio, præfecto Chmielnicensi, Bonarum Literarum Scientia, & Exoticarum Linguarum, è diuturna & longinqua peregrinatione, peritia insigni: Tum ex profligatis prospere ad Oczacouiam Tartaris, ad Bielagrodum Turcis, atque ad Medireciam Germanis: Bellica Virtute præclaro. Stanislaus Lanscoronius, Frater mœstissimus, quod nollet, id volens præstitit. Vixit.

LXXVIII. *STANISLAVS LANCKORONIVS.*

SEquitur fratrem Prædislaum, qui cum multis militiæ partis honoribus erat clarissimus, Stanislaus Lanckoronius itidem literis, ac linguarum multarum cognitione instructus. Qui paulò postquam ex ephebis excesserat,

rat, gloriosum illum Martis puluerem, in castris Nicolai Cameniecij primùm attigit: Deinde cum Ioanne Tuorouio in Valachiam à Sigismundo Primo, subsidio Bogdano Palatino contra Turcas missus, ex rerum gestarum laude, honores in patria, & gratiam apud Regem promeruit. Et equitum alæ præfectus, interfuit illi prœlio cum Tartaris ad Lopusnam; proprijsque auspicijs palantes barbaros ad Buscum profligauit. Cumque Martino Cameniecio item, atque Ioanne Tuorouio, anno à partu Virginis, supra millesimum & quingentesimum, decimo sexto, ad Treboulia atque Podhaieciam Scythas profligauit; multis captiuis liberatis. Quumque anno eodem sub ipsam iam brumam cladem suorum vlturi, de nouo excursione facta, quadripartito exercitu, Chmielnicensem, Miedzibozensem, Zincouiensemque tractum deprædarentur, conuocata Podoliæ nobilitate, fortiter aggressus, maximis cladibus affectos, præda omni exuit, & captiuos ad Regem Vilnam misit. Continueque pro patria excubans, Camenecensi districtui, multos per annos præfuit, non minore iustitia, quàm fortitudine: nam & Dacorum latrocinantium incursiones, tribus eorum Ducibus, supplicio affectis, coercuit. Cui itidem vt & fratri bene de Repub. merito, virtutis ergo epitaphium subscribamus:

Stanislaus Lanscoronius, præfectus Camenecensis: Roxolanæ Nobilitatis præcipuum Decus: Parta sæpius de Tartaris Victoria, Reque in Valachia prospere gesta, sed præcipue Barbaris apud Buscum profligatis, Regi Sigismundo Primo, & omnibus Charus: Vbi Fatalem Horam adesse sensit, de more Christianis Sacris expiatis, Fraterno se Tumulo inferre iussit; vt ita Mortis simul Soporem dormiant, sicut Vitæ concorditer excubias vigilarunt.

OSTA-

OSTAPHÆVS DASCOVICIVS. LXXIX.

LIbet hic clarissimis in Republ. viris, summoque loco natis, adnumerare Ostaphæum Roxolanum, Cosachorum Zaporosensium authorem; tametsi ignobilem genere & loco obscuro natum, ast militiæ artibus, militariumque virorum secta ab illo instituta in hodiernum florente, & non in Sarmatia nostra tantum, sed in Europa ferè tota, atque etiam Asia celebrem. Virtus enim eiusmodi est, quæ ipsis statim rebus gestis ita afficiat homines vt non modò admirentur opera, verùm in auctorem quoque summo studio incendantur. Enimuero enim turpe est, (vt benè notauit Orator Græcus) maiorum factis gloriari, & tamen virtutem illorum non imitari. Nam sicut animantia omnia ex moribus ipsorum & actionibus exquirimus, vtrum generosa sunt, an inertia: ita & hominum nobilitatem, non ex maiorum laude, sed ex suis ipsorum actionibus, & rebus gestis, æstimare oportet. Vnde melius est de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci. Ostaphæus igitur Ouruciæ, Constantini Ostrogij oppido in Lituania natus, ex humili militiæ loco, per omnes honorum gradus, ad eximiam bellicæ virtutis opinionem ascendit, domini sui castra assiduè secutus. Cum conuocatis è plebe aliquot millibus, bello aptiores in certas turmas disposuisset, prædaque è Moscouia asportata ad obsequium sibi præparasset; cœpit proprijs etiam auspicijs Bessarabiam Tauricamque chersonesum inuadere, atque cum Tartaris, viribus indies auctior, iusta acie decertare. Dumq; Borysthenem quadam vice transgressus, multa pecorum & equorum millia abegisset, ausumque barbarum collatis signis acie congredi, toto penè eius exercitu cæso, victoriam obtinuisset, à Constantino Duce, Regi Sigismundo recommendatus, & militibus se sequi quo vellet, disciplinamque suam obseruare, licentiam in Senatu impetrauit; & ipse præfectura Circassiensi à Rege, posthabitis permultis nobilibus, fuit donatus. Sentiebat enim sapientissimus Rex, pluris faciendos qui virtute ac dotibus animi pollerent, quàm qui maiorum gloriam & nobilitatem turpi vita labefactarent. Igitur sectam militarem Ostaphæus instituit, quos omnes Cosachos; id est leuiter armatos, & minimè mortem extimescentes vocitari iussit, qui vt plurimum omnes plebeij sunt homines, è pagis, oppidis, ac villis nobilitatis Roxolanæ collecti, vnum semper Ducem habentes de medio sui; quem

V sequen-

sequentes, cum hostibus Regni Poloniæ iussu Regio, vel prædæ auiditate pugnant; suntque in numero per æstatem grandi, interdum ad quadraginta millia, veterum Romanorum disciplinam seruantes. Hyberno autem tempore quisque domum suam ad parentes aut amicos redit. Sed de his sufficientissime in Equite Polono, ad Vrbanum III, Pont. Max. perscripsimus. Nunc ad Ostaphæum reuertamur, is apprime imperatoriam artem callens, permultos ac mirabiles in ipso pugnæ momento, pugnandi repugnandique artes reperit, & cum Moschis sæpius, tum Tartaris semper quoad vixit terrori fuit. Milites vero suos tractabat pari seueritate atque indulgentia: Nam delicta neque obseruabat omnia neque pro modo exequebatur: sed desertorum ac seditiosorum tantum, & inquisitor & punitor acerrimus fuit: conniuebat in cæteris. Verum quia nihil stabile nihilque immutabile in mundo est, post tot obtentas de barbaris victorias, & in senectam iam vergens, cum maxime rerum bellicarum peritus esse putaretur, ad ripam Borysthenis cum Tartaris aduerso prœlio decertans, captus ab illis fuit, & anno integro in seruitute mansit. Donec Tauricano contra Zauolgenses cum toto suo exercitu egresso, & ad mare Caspium profligato atque occiso, nactus occasionem effugiendi, (iam nemine viuere eum sperante) ad suos Circassiam reuerteretur. A quibus cum gaudio exceptus, subito in Tauricam mouit, & multis millibus barbarorum occisis, ignominiam acceptam, insigni victoria resarciuit: & nec multo post tandem & ipse fato concessit, climaterico ætatis anno. Vir omni sæculorum memoria dignissimus, & Castrensis disciplinæ exactor grauissimus, cui iam pares non sunt Cosachi. Sed & in nostris militibus, neglectam iam videmus esse virtutem, quamuis sint equestri & nobili loco nati plerumque omnes: & pudori, certe probitati, virtuti, rectis studijs, bonis artibus, semper in castris locus est difficilis, iuxta illud poetæ. Nulla virtus pietasque viris qui castra sequuntur. Sed nos ad Ostaphæum reuertamur, quem pro meritis & virtute, hoc breui epitaphio cohonestemus.

Tendimus huc omnes. Viator. Et Ostaphæus Dascouicius, Cosachorum Zaporosensium Author. Hic iam conclusus est. Elatus quiescenti, Quam Mortuo similior: Canentibus Næniam, Russorum Liberis vtriusque Sexus.

xus. Hunc, Sigismundus Primus, Rex Poloniæ ignobilem Loco: Bonum Militia, & Rebus contra Tartaros atque Moschos prospere gestis Clarum Honoribus extulit, & Præfectura Circassiensi auxit. Vbi, defuncto, Exercitus Honorarium ei Tumulum excitauit, & Mortem nemo Bonus non doluit.

JOANNES TVOROVIVS. LXXX.

HIc sub Constantino Ostrogio rudimenta militiæ felicissime auspicatus, formam & fortitudinem egregiam, ingenium præcellens, beneuolentiam singularem, conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris, mirum & efficax studium a natura habuit. Ac propterea cunctis gratus, etiam Ducum ipsorum promeruerat amorem: præcipue Nicolai Cameniecy Palatini Cracouiensis, & exercituum Generalis, cum in Valachiam contra Bogdanum Palatinum iret. Legionis siquidem ab illo legatus factus, in primo congressu Turcica phalange vnico impetu fugata, & suæ fortitudinis egregium specimen cunctis exhibuit, & toti exercitui ad victoriam consequendam, animum fecit. Iterumque eidem Bogdano cum Tartari Valachiam inuasissent, cum Stanislao Lanckoronio subsidio missus, hostem frequenter cæsum in deserta pepulit, & re prospere gesta, cum signis & captiuis ad regem redijt. In Podolia vero excubias agens, Tartaros ad Treboulam maxima vi irruentes, cum quadraginta modo equitibus fortissime repulit, diem integrum cum eis præliatus, quorum duo millia fuerunt, tandem acceptis a Buczacio septingentis equitibus, ad medriboziam vsque persecutus eos, magna clade affecit. Atque denuo ad Treboulam Anno virginei partus 1516. & ad Podhaieciam mascule adortus, octingentos ibi, hic quingentos, occidit. Multisque alijs in locis sub Ioanne Taruonio militans, egregiam patriæ operam præstitit Cuius immortali memoriæ optimo iure, hoc breue epitaphium datur.

Ioanni Tuorouio, Belli, Paciſq; artibus inſigni, & cæſis multoties in Podolia, & Valachia Barbaris, Regi Sigiſmundo Primo, & omnibus in Patria charo: Quem non ſine magno dolore Suorum, quibus præclaram Spem Nominis ſui excitauerat, Mors immatura ſuſtulit: Hoc Marmore memoriæ cauſa poſitum eſt.

LXXXI. *JOANNES CAMENIECIVS.*

Rectè ſanè Auguſtus Imp. proximum à dijs immortalibus honorem memoriæ ducum præſtitit. qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidiſſent; cum nulla certè maior virtus ſit patriæ charitate, quam conſeruare integram aut auctiorem hoſtibus debellatis reddere, nonniſi magni animi eſt, & qui occumbere in acie ſit paratus. Tales in Polonia noſtra, cum plures alios, tum Cameniecios quoque, ætas ſuperior habuit, quorum etſi iam familia tota deceſſerit complura nihilominus paſſim rerum geſtarum monimenta extant: magnum iudicium ſplendoris familiæ & vetuſtatis. Inter hos autem Ioannes Præfectus Cameneceñſis, vir facundus & pacis belliquе artibus clarus, & qui maximè familiam illuſtrauit Tartaris ad Voronouiam regnante Alexandro Iagellonide deuictis apud quem & conſiliorum omnium, ſecretorumque particeps fuit. Et Sigiſmundo Primo rerum potiente, cum fratre Nicolao, integrum militem, & crebris ac proſperis laboribus exercitum contra Bogdanum in Valachiam duxit: veteranumque pariter ac tironem opere aſſiduo corroborauit. Exercitatione enim firmantur omnia in corpore membra, ſicut omnia diſſoluuntur ocio: nec ocioſi poſſunt eſſe fortes milites, non tantum quod corpora ferre & durare non poſſunt, ſed etiam quod animi effœminantur. Ac propterea imbellem nunc militem Sarmatæ habemus, quia de rigore illo antiquo remiſimus, & priſca illa ſeueritas tota fermè deperijt. Sed nunc virum de patria meritum epitaphio cohoneſtemus, qui

qui publicam vtilitatem, liberorum affectibus, imo ſuæ, ſuorumque incolumitati præferre non dubitauit.

Ioannes Cameniecius, Caſtellanus Leopolienſis Clariſſimis ortus, haud dubie Natalibus. Profligatis ad Voronouiam Tartaris, Podoliæ Prouinciam adminiſtrauit per X. Annos moderatione atque abſtinentia ſingulari. Et exin Regibus Poloniæ Alexandro & Sigiſmundo I. cariſſimus. Vnde quinquageſimo Ætatis Anno moritur Febre confectus. Vir æqui obſeruantiſſimus & veræ pietatis Cultor.

MARTINVS CAMENIECIVS. LXXXII.

Tot per annos in caſtris cum fratre Nicolao Duce exercitus Generali Martinus Cameniecius verſatus, militum atque hoſtium abundè gnarus proprio quoque auſu, cum Valachis ad Chotimiam pugnauit gerendæ rei à fratre præfectus, ne cuius alterius inſcitia rurſum peccaretur, vti regnante Alberto Iagellonide peccatum fuerat; licet ibi maioris infamiæ, quā detrimenti cladem accepimus. Proinde Martinus expeditioni illi intentus, quo firmior aduerſus fortuita eſſet, quantum ſine bello temporis dabatur, non deſiſtebat reuocare priſcum morem, exercere legiones, cura, prouiſu agere perinde ac ſi hoſtis ingrueret. Reque proſperè geſta, multum à Sigiſmundo Primo Rege ſapientiſſimo æſtimatus fuit, & albo Senatorio adſcriptus, ampliſſimos in patria honores percucurrit. Tandemque ipſe non multò poſt fatis, naturæque conceſſit. Quem hoc breui epitaphio honoremus.

Martinus Cameniecius, Podoliæ palatinus:

Vir & cordatus, & grauis, & dicendi Libertate inſignis: Sciens nullum iuſtius Bellum eſſe, Quam quod pro Religione Chriſtiana, & patriæ defenſione ſumitur: Toto Vitæ ſuo decurſu, contra Barbaros, Nominis Chriſtiani, & Seminis Poloni, ſuis Sumptibus militauit: Obtentaque inſigni de Turcis atque Valachis ad Chotimiam Victoria, Anno M. D. III. ad Superos lætiſſimus abiit.

LXXXIII. *NICOLAVS CAMENIECIVS.*

MAgnæ apud Regem Sigiſmundum Primum, dignationis & gratiæ Nicolaus Cameriecius fuit, vir natura genitus, & induſtria factus ad humanitatem, & ad deuinciendas popularium volũtates maxime idoneus: ſumma in homine morum comitas & commoditas, cuius indicia vultus ipſe exhibebat, præ ſe ferens mixtam cum grauitate miram ingenij feſtiuitatem. Is itaque ob virtutem militarem & rerum peritiam, exercituum Imperator declaratus, appetentior famæ viſus eſt, in exercendo milite priſca ſeueritate, cum tamen natura, mitis ingenio & comptæ facundiæ eſſet. Cæterum laboris vltra fidem patiens: & tum plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ſemper Ducis honore. Cumque Bogdanus Valachiæ Palatinus, Turcarum ac Tartarorum auxilijs fretus, contra ius gentium rupto fœdere, Ruſſiam Podoliamque inuaſiſſet & Cameneciã, Haliciã: Leopolim: aliaſq; munitiones fruſtra oppugnaſſet. Nicolaus cum exercitu Cracouia mouens, cum hoſtem aduentus ſui fama territum non reperiſſet, facto delectu militari in Valachiam viceuerſa prædabundus

bundus

bundus deſcendit, & occurrentes ſibi cum paratiſſimis copijs hoſtes, ingẽtibus cladibus affecit. Cumque re bene geſta, cum præda onuſtus demum iam rediret, & Tyram fluuium ſuperaret: Valachi vt ſunt natura fraudulenti: & ad faciendas inſidias apti, & è proximis ſiluis magno clamore prorumpentes, poſtremum agmen, cum impetu ingenti ſunt aggreſſi. Pugnatumque fuit diu ſatis, dubio marte: vbi Nicolaus ipſe inclinatam aciem ſolus ſæpè reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinenſque ſingulos, donec cæteri in ſubſidium flumine tranato venirent. Tandem victoria Polonis ceſſit, cataphractis equitibus præualentibus, inque fuga Valachi plurimi cæſi: & capti ex primoribus non pauci, inter quos fuêre, Matthias Logophetus Cancellari9. & Kierſa Magnus Theſaurari9, Daciæ, induſtria & fortitudine ipſius Cameniecij intercepti. Quiſquis enim alteri parare nouit pericula, idem quoque parata facile deteget effugietque. Qua arte vſus eſt, & contra Tartaros ad Lopuſnam iunctis copijs cum Conſtantino Oſtrogio, vbi viginti quinque millia barbarorum, quatuor millibus noſtrorum fuêre profligata. Tum ad Viſnoueciam quoque, cum viginti quatuor millia, ſex millibus equitum noſtrorum cæſa fuerunt. Pari enim in Societate potentiæ concordes, diuerſa arte ex æquo pollebant: iam autem quam ſit arduum eodem loci potentiam & concordiam eſſe, quis non videat: Proinde merito viro tam prudenti, tamque zeloſo de bono publico, æternæ memoriæ cauſa hoc Cenotaphium ſcribendo epitaphio erigamus.

Claudit hic Lapis, Viator. Vltimum Cameneciæ Familiæ Sydus (Quæ haud dubie clariſſima fuit, tot Procerum Senatus ſerie) Nicolaum Palatinum Cracouienſem, atque Exercituum Poloniæ Ducem Supremum. Virum Militaribus curis, & Seueritate Morum in Sago: præceptis Eloquentiæ, & Comitate honeſta in toga: Clariſſimũ. illaque inſigni de Tartaris ad Viſniouecіam, & de Valachis ad Tyram fluuium

uium

uium, Victoria, pene immortalem. Qui Anno M.D.XV. Non plane Senex, Bonorum omnium cum luctu, æstuantissima Febre decessit.

LXXXIV. *BERNARDVS PRÆTIFICIVS.*

HAbuit sanè quàmplurimos, regnante Sigismundo Primo, præstantes viros Polonia, qui non tantum domi apud suos fuerunt in admiratione, sed & terrori exteris; qualis & Bernardus Prætificius cēsetur fuisse, ob virtutem & merita multis possessionibus in Podolia, atq; præfectura Treboulienst à Rege sapientissimo donatus, clarus militiæ Dux: Et quem tanta fuisse scribunt auctoritate, nedum apud suos, sed & Schythas apud, contra quos strenuè bella gerebat, vt eo iam mortuo, in fugam se pluries contulerint, conspecto eminus Polonorum exercitu, qui eum viuum etiam interesse existimabant; plangentesq; domi pueros, matres silentij admonebant, Prætificium adesse dictitantes, qui occideret aut in captiuitatem abduceret, nisi tacuissent. Nemo siquidem eo celerius expedire arma, nemo intētiùs & vigilantiùs hostium motus obseruare, nemo violentiùs barbaros inuadere, nemo pertinaciùs victoriam captare dedicerat. Qui primo cum Nicolao Seniauio contra Tartaros & Valachos militauit: postea proprijs auspicijs, signa in eos duxit, sæpiusque Oczakouiam populatus atq; Belgradum, multa millia pecorum atque equorum in Podoliam abegit, præter aliam prædam & captiuos. Enituit autem in Bernardo oris & corporis eximia dignitas, eloquentia militari studio requisita excellens, mores probi & honesti, ita & bello & pace ab omnibus laudaretur, totaq; Polonia & Germania celebratissimus esset. Quem & nos quoque pro merito hoc breui epitaphio celebremus.

Via-

Viator vide quam incertæ hominum sedes. Silesia ortum dedit: Podolia extinctum fouet. Militiam exercui, Tartarosque Turcas atque Valachos cæcidi. Atq; ob id Regi Sarmatarum Magno, Sigismundo Primo, charus fui. Et Honores gessi, celebris in ore omnium. Nūc paruo hoc contegor tumulo. Spretus ab omnibus! Hei mihi, non opes, non pietas, fatū placauere: nec mihi astus militaris quicquam profuit.

Si igitur pius es, Prætificij, dum hac transis, rogo, ne obliuiscere.

NICOLAVS SIENIAVIVS LXXXV.

QVi de extincta virtute magnificentius loqui amant, etiam Seniauios, auorum memoria inter Russia Dynastas florentes, priscis Heroibus adnumerant: qui sic rem militarem in bodolia tum administrabant, vt eorum opera Russia illa afflicta, ac anniuersario hoste penè deleta, non requiesceret modo, sed nouis quoque colonijs solitudines suas compleret. Præcipue autem ex eis laudatur Nicolaus Palatinus Belzensis Militiæ Polonæ Præfectus Campestris, vir fortis & magnanimis: qui cum fratribus Alexandro & Procopio, apud Cameneciam, Treboliam, Verestatincium pagum, Podhacciam, Mediboziam, & multis alijs

X in locis

in locis Tartaros prosperè deuicit. Cumque ad Oczacouiam semel cum mille equitibus, priuato consilio, necdum in magistratu positus, populabundus excurrisset, circumuentus à barbaris, cum trecentos circiter ex suis fortiter pugnando amisisset, pacem ab illis coactus petijt, & fœdere cum Duce illorum inito, redijt minitabundus festinationem temeritatemque deinceps maximè deuitans. Igitur cautior exinde, ignominiam illam pluribus victorijs abundè expiauit: & copijs Reipub. præfectus, disciplinam acerrimè exegit, animaduersionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis. Et quanquam vir naturali iudicio pollens, & multo rerum vsu subactus esset, ad Seretum tamen cum moldauis minus prosperè pugnauit, quod non bene cum Andrea Tencinio Rohatinensi præfecto conueniret. Vnde & febre ex mœrore animi consumptus est. Finis vitæ eius Roxolanis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Nos etiam tumulum eius hoc epitaphio cohonestemus.

Nicolao Sieniauio, Palatino Belzensi, militiæ Polonæ præfecto campestri, non minus sua virtute, quam splendore Maiorum claro. Qui Regis Sigismundi Primi temporibus, incolumi dignitate, florente fama, saluisque affinitatibus & amicitijs beatus, præclaros sæpius de hostibus fidei triumphos retulit, ac præcipue Tartaros Podoliam incursantes, pluribus in locis prosperrime cecidit. Tandē triumphatus ipse à morte corpus heic suū quiescere voluit: donec illud incorruptibile, & non amplius infirmum induerit.

NICO-

NICOLAVS SIENIAVIVS Junior. LXXXVI.

Virtutis & dignitatis similitudine parem patri filium asscribamus, qui vel hostium confessione sæculi sui summus, ingenium illustre altioribus studijs iuuenis admodum dedit, quo firmior aduersus fortuita Remp. capesseret. Adultior autem cum fratre Hieronymo Castellano Camerecensi sub Stanislao Lesniouolscio turmas contra Moscos ductabat, doctores sapientiæ secutus, qui sola bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia, docerent. Interfuitque illi prœlio ad neuelam, vbi mille quingenti nostri, quadraginta Moscorum millia miraculosè profligauerant. Idem Melecio Duci postea socius, cum Valachis rebellibus, qui semper magnitudine nostra proteguntur aduersus externa imperia, prospero successu pugnauit; cum Bogdanum Palatinum ad capiēdum principatum, iunctis copijs, deducerent. Podkouamque idem iussu Regis Stephani cœpit, quod is Valachiam cum Cosachis incursando, præter pacta Regni, & Regis scitum turbaret: tum Petrum quoque Palatinum principatu eiecit fratre eius natu minore Alexandro, in principatu constituto. Denique cum Rege Stephano in Moscouia Russicarum copiarum præfectus, rerum gestarum gloria, & magnitudine animi cum patrem ipsum, tum cunctos, qui eo sæculo maximè in Russia florebant, proculdubio superauit. Quapropter eum pro meritis & virtute hac breui epigraphe celebremus.

Nicolai Sieniauij, Palatini Russiæ, præfectique Striēsis, ac totius Pocuciæ Rectoris, viri prohdolor! Et bellicis, & literacijs dotibus ornatissimi, ossa hic quiescunt pro tempore. Qui regnātibus in Polonia, Sigismundo Augusto, atque Stephano

 Batho-

Bathoreo, prudentiſſimis Principibus: Melecianæ diſciqlinæ (qui tum exercituũ Poloniæ Imperator erat) diligentiſſimus obſeruator, multis fortibus factis in Moldauia & Moſcouia & Moſcouia editis, conſtantis atque impigri Ducis famam eſt conſecutus.

GEORGIVS IAZLOVECIVS. LXXXXVII.

INter viros, quos non adeò crebros ætas illa protulit Iazlouecios quoque adnumeremus, quod militiæ deditì, ſpectata ſemper virtute arma tractarent. Summam autem familiæ dignitatem attuliſſe fertur Georgius Palatinus Ruſſiæ, vir in re militari præſtantiſſimus & armorum telorumque ſtudioſiſſimus, qui auorum noſtrorum memoria, ſub Camenecio exercituum Polonicorum Imperatore, militiæ diſciplinam hauſit, & per gentiles ſuos propagauit. Atque primum ipſe Anno Virginei partus 1528. regnante in Polonia Sigiſmundo Primo, mille Tartaros ad Cameneciam cecidit: tum anno ſequenti ad Oczalcouiam excurſione facta, aliquot barbarorũ turmas ad internecionẽ deleuit. Et ab Aslamſultano Duce eorũ, ſub fide militari Oczalcouiã inuitatus, amiſſis plurimis de equitibus ſuis, quos barbari violarunt, aliquanto detentus fuit. Indeque lyntro grandi eliberatus, iniuriam ſuam tota vita vlciſci, etiam regnante Sigiſmundo Auguſto non ceſſabat; nihilque non de concilij ſententia in poſterum agebat, cum animaduerteret priorem cladem temeritate & negligentia ſui Chiliarchæ accidiſſe. Interfuit quoque cum Io. Tarnouio contra Dacos bellum gerente, illi ad Guoſdeciam atque ad Obertinum prælio (quo tempore Tarnouius totam Pocuciam recuperauerat,) integræ phalangi præfectus: & Megiſtanas Valachiæ, qui primi à nobis defecerant, clade ingenti affecit. Atque domum reuerſus ita ipſe inopinato concidit, vt triumphales lucernæ, rogi flammas ſpectauerint. Quem pro virtute & meritis hoc breui epitaphio condecoremus.

Georgius Iazlouecius, Palatinus Ruſſiæ, haud vulgari vir ſpecie, armorumque ac conſiliorum prudentia eximius, dum febrim ex aſſiduis belli Moldauici laboribus cõtractam curare ſtudet, remedium quærens in mortem incurrit. Anno.

NICOLAVS RADIVILLVS. LXXXVIII.

QVo tempore Iagello Rex, Lithuanos ſuos ad Chriſti fidem conuerſos, Poloniarum quoque populis fœdere perpetuo iunxerat, ſuosque proceres ſecundum normam & conſuetudinem Polonorum, per magiſtratus, dignitates, & officia diſpoſuerat, etiam Radiuillum, vnum ex magnatibus, in baptizmi lauacro Nicolai nomen ſortitum, Vilnenſis Palatini titulo, ob virtutem & merita, dignatus eſt. Qui authoritate in familia pollens, iuſſit vt omnes Radiuillorum primogeniti, Nicolai nomen aſſumerent, & erga ſanctum illũ Epiſcopum Mirhenſem, ſingularem deuotionem haberent. Quod quidem in hodiernum obſeruaſſe, veros illos pietatis cultores animaduertimus; dignos quos ſera poſteritas imitetur! Horum itaque imagines, & elogia vniuerſi generis exequi longum eſt, familiæ breuiter attingam. Ac primum quidem Nicolai Primi, qui cum Vitoldo Duce, contra Crucigeros Scythas atque Moſcos, cohortium Præfectus multos per annos erat. Itemque cum Sigiſmundo atque Michaele eius nepotibus contra Liuonienſes totius exercitus Lithuanici ductor: ordines ſingulos, ipſe ſolitus obequitare, adeſſe periclitantibus, gnauos ſtrenuoſque claudare: ignauos & pauidos increpare, cunctantes excitare, imminutis ordinibus milites alios ſubſtituere: quoſdam etiam, quando opus erat traducere, ſuppetias ferre laborantibus,

rantibus,ac opportunitates,momenta,euētus obſeruare; ita,vt omnium conſenſu & vocibus, magnus bello Dux & pace præclarus, poſt illam Vilcomirienſem de Liuonienſibus Crucigeris victoriam, acclamaretur. Cuius eximia bonitas, liberalitas ſumma, & Chriſtianæ pietatis cultus præcipuè commendantur:tum oris probitas, ſtatura quadrata, corpus validum ac robuſtum:idemque laboris atque operis patientiſſimum:par victus frugalitas,& ex eo valetudo proſperrima; vt centeſimum annum ſuperuixiſſe dicatur,pijſſimeque & animo quam maximè tranquillo obdormiuiſſe.Cuius corpus Vilnæ in Monaſterio Sācti Georgij, quod ipſe extruxerat,ſepultum eſt: nos ei Cenotaphium iſtud conſcripſimus.

Viator.Si pius es,perlege.Nicolaus eius nominis è familia Radiuillorū I. vna cū Rege Vladislao Iagellone, ſacro baptizmatis lauacro Cracouiæ ablutus, heic ſepultus quieſcit. Vir manu & conſilijs ſtrenuus. Amicis & Gentilibus clarus.Expertæque prudentiæ.Qui priſcis Ducibus ſuę ſtirpis Authoribus ferox, Vilnenſisque Palatini munere, ad ingentis potentiæ gradum à Rege Vladislao ſubuectus; bellis,ſub Vitoldo, & Sigiſmundo, Principibus Lithuaniæ præfuit cum imperio.

Illaque Vilcomirienſi de Liuonibus victoria clarus meruit inter Heroas,ad ornatum ſæculi editos numerari. Cum & Chri-

Chriſtianæ pietatis, quam nuper profeſſus,memor exiſtens,magnæ,non abſtinētiæ modo,ſed etiam liberalitatis, iuſtitiæ, candoris, modeſtiæ humilitatisq; exempla poſteris reliquiſſet.

Idem, priſco Sarmatarum more, tota vita abſtemius,ac nō niſi aquæ potor fuit: tum & opes ſuas omnes, quas ante fidei agnitionem congeſſerat, poſt ſuſceptum lumen: In egenos, & ſacrorum Chriſtianorum myſtas, manu ſua dilargitus eſt. Obijtque centeſimo ætatis ſuæ anno, non ſecus atque in domeſtico luctu, mœrentibus eum publice cunctis.

NICOLAVS II. RADIVILLVS. LXXXIX.

Adeo verum eſt,quod Poeta dixit,fortes creari fortibus, vt etiam num in certis familijs, non niſi claros viros & illuſtres, perpetua quadam ſerie naſci videamus. Quod & in Radiuillorum magna & vetere proſapia,ex quo fidem Chriſtianam receperunt, manifeſtiſſime obſeruare licet. Namque primus ille Nicolaus, tot animi corporiſq; dotibus præditus, poſtquam centeſimum viuendo annum expleuiſſet, Nicolaum hunc,de quo nobis ſermo eſt,non poſſeſſionum modo ſuarū, ſed &

ſed & virtutum, & dignitatis authoritatiſque in Patria, hæredem vnicum reliquerat. Qui armorum & equitandi peritiſſimus, tribunus militum ſub Cazimiro Iagellonide, & in Moſcouia, & in Pruſſia meruit ſumma induſtria, nec minore modeſtia & fama. Nam & abſtemius ſolito tum principibus viris more tota vita fuit, & nonniſi frigidam potauit: Et in numerum Senatorum relatus primariam in patria dignitatem, Palatinatum videlicet Vilnenſem adminiſtrauit copijſque Lithuanicis, cum imperio, ad Homliam in Moſcouia, præfuit, Regi Alexandro gratioſiſſimus. Reliquitque filios quatuor, haud abſimiles ſibi, qui omnes in ſenatu, ſub Sigiſmundo Primo Rege Poloniæ, Patre ſuo adhuc viuente, conſederunt; nam ad nonageſimum nonum vſque annum ille vixerat, ſolertiſſimè populo blandus, magnitudineque animi, nemini Megiſtanum inferior: acri quoque ingenio, & conſiliorum prudentia eximius. Vnus ex filijs eius, Albertus nomine, Epiſcopus Vilnenſis fuit, patriſque ſui confeſſarius; vulgo Eleemoſynarius dictus, quod ſingulis diebus pauperes ad menſam ſuam haberet, ipſeque illis miniſtraret, priuſquam aut ipſi cibum caperet, aut Senatores menſæ ſuæ adhiberet. Is vt erat ſanctitatis opinione maxima, patrem habitu Franciſcano, apud Sodales eiuſdem inſtituti, quos vulgo Bernardinos dicimus, quibus ille ipſe templum & monaſterium Vilnæ erexerat, ſepeliuit. Nos ei, virtutis ergo, Cenotaphium erigamus.

D. O. M. S. Nicolaus eius nominis Secundus, è magna & vetere proſapia Radiuillorum, Palatinus Vilnenſis, à Vladiſlao Iagellone incipiens, ad Sigiſmundum vſque eius nepotem, ſex continua ſerie Regibus Poloniæ, in toga & ſago, fidelem ac ſtrenuam operam præſtitit. Copiarumque M. D. Lithuaniæ, ab Alexandro Rege, cui inprimis charus erat, ſummus præfectus creatus, eo felicitatis deuenit, vt & dignitate, ſuperiorem ſe, in Patria neminem haberet: & quod ſera poſteritas vix credet, filios quos progenuerat quatuor, omnes ſecum aſſidere in ſenatu, præcipuarum Prouinciarũ Rectores, vidit: nec tamen improbe exultauit in tanta fortuna, ſed modeſtia Chriſtiana, præditus, in viros militares beneuolẽtia, & ſingulari in omnes humanitate vſus, perijt ætatis anno nonageſimo nono, in ſummo omnium mœrore.

NICOLAVS III. RADIVILLVS. XC.

NIcolai Secundi primogenitus, paternum nomen ſumens, voluit etiam virtutum ſeſe haud degenerem filium præſtare, ijſque qui indole & virtutibus pollent, parem omnino exhibere. Et quidem in puero ſtatim corporis animique dotes explenduerunt, minime vulgares, cum patrem in Moſcouiam cum exercitu euntem, comitari magnopere exoptaret. Magis ac magis deinceps, per ætatis gradus accreſcens, forma egregia, & cui non minus authoritatis ineſſet, quam gratiæ; præcipuumque robur, procera ſtatura, memoria ſingularis, docilitasque ad omnes ferè tum belli, tum pacis artes, in eo apparuere. Igitur ſciens hoc virtutis maximum præmium eſſe, quòd latere ſuos non ſinat, maiorum ſuorum exemplo propria virtute inclareſcere voluit, factusque à

Sigiſmundo Rege, Nouogrodenſis primum, poſtea verò Vilnenſis Palatinus, bellis Moſcouiticis durantibus, Homliam arcem, in finibus Ducatus Seuerienſis ſitam, copiaque defenſorum, & magnitudine mœnium validam, paucos intra dies, ſuis cum cohortibus expugnauit: & Ducem Ouczynam, cum quindecim millibus armatorum ſubſidio obſeſſis venientem, ſtrage fœdiſſimum cæcidit, ipſumque cœpit; tum opera eadem Starodubum opulentam vrbem, cum aliter potiri nequiret, igni totam excuſſit, Duce Moſcorum Baſilio, prælium aut defenſionem nuſquam auſo. Quum verò litteris, ac linguarum multarum cognitione inſtructus eſſet, & Regi Sigiſmundo in paucis charus exiſteret, in illo conuentu Regum Viennenſi, ob virtutem & præclara facinora, à Maximiliano Primo, Princeps Romani Imperij, primuſque Senator, declaratus fuit. Et quidem meritò tanta enim modeſtia, tanta humanitate, tantaque pietate fuit, vt qua die ſacrum audire non potuiſſet, aut pauperes fraterno exemplo (Alberti videlicet Epiſcopi Vilnenſis) ad menſam ſuam habere nequijſſet, ea die ipſe ab omnibus delicatioribus cibis abſtinuit, & tantum in pane & aqua ieiunauit: Religioſiſſimus Princeps, caſtaque & ſecreta domo: & qui placita maiorum colebat habitu ſeuero: quantoque pietate occultior, tanto plus famæ adeptus. & quem nobis etiam hac breui epigraphe celebrare placuit.

Viator, quiſquis es, ſiſte Gradum, & quod ſcriptum eſt, perlege.

Nicolaus, eius nominis Tertius, è familia Radiuillana, Palatinus Vilnenſis, haud dubie Nobiliſſimus, multarumque & magnarum propinquitatum: Primus regnãte Sigiſmundo Primo, cui erat chariſſimus, Romani Imperij Princeps, à Maximiliano Primo factus: tantã dignitatem, ornauerat ingẽtibus animi bonis, iuſtitia, pietate, eruditione, prudẽtia, modeſtia, comitate, liberalitateque in omnes ſingulari: maxime vero virtute bellica, & rebus in Moſcouia fortiſſime geſtis, quæ omnis conſequens ætas meritis laudibus celebrare non deſiſtet: Hic igitur ſeptuagenario maior ex articulari morbo Vilnę deceſſit, turbaque militum, quaſi inter ſolennia triumphi proſequente, inter ſigna militaria atque vexilla, in Baſilicam S. Staniſlai, illatus, quieſcit.

GEORGIVS RADIVILLVS.
XCI.

GEorgius, Nicolai Secundi filius, expeditionem in Moſcouiam regnante Sigiſmundo Primo ſuſceperat, tantum vt fratri ſe Nicolao Tertio, & operibus & dignatione adæquaret, & hoſtem apud Starodubum, Radogoſtiam, & Smolenſcum ingenti clade affecit. Itemque ſecunda expeditione, vltra Veſmam & Dorohobuſum cum tribus millibus progreſſus, cuncta igni & ferro deuaſtauit, hoſtibus prælium iuſto marte deuitantibus. Et opera eadem Mozirum, Turouiam, aliaque minutiora loca dudum fraude Michaelis Glinſcy perduellionis intercepta, reddere coegit: ac ne iuſſa exuerent, præſidium immuniuit. Proinde à Rege Kiouienſis Palatini primum titulo remuneratus fuit, poſtea Marſalci Curiæ officio, atq; Vilnenſis demũ Caſtellani dignitate, & ſuprema

exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Præfectura. Igitur vir fama & factis ingens, omnique laude maior, & quem verè alterum Periclem Lithuanorum, ac patriæ libertatis Athlantem appellare possumus, sub Augusto Rege, cui de paucis charus atque intimus erat, & cuius Rex Augustus filiam nomine Barbaram in vxorem duxerat, Petrum Suiscium Moscouiticarum copiarum ductorem, cũ triginta millibus ad Vlmam profligauit. Suiscius verò alter ex Ducibus vulneratus, fuga euadens, à rustico quodam securi, magno cum dolore Radiuilli, quod viuus captus non esset, occisus tum erat. Multisque alijs in locis deinceps, hostem illum peruicacem, Georgius maximis cladibus affecit: & inter hæc ipse morte præuentus est, maiore hominum nostrorum damno, quam suo. Cuius sepulchrum, hoc breui epitaphio cohonestemus.

Georgius Radiuillus, Castellanus Vilnensis summusq; militiæ Lithuanæ magister. Dignus, quem omnium gentium vota optent in ciuem, hic sua ossa deponi iussit. Qui data in vxorem, Rege Sigismundo Augusto, filia nomine Barbara, nouum lumen in familiam suam intulit: patrisq; toties Moscouitico bello triumphalibus, minime inter ciues elatior, integerrima fama, claritatem scriptis adauxit. Tandemque relictis terrenis possessionibus ad æterna ac cælestia, vt confidimus, Anno M.D.LXV. euolauit.

IOAN-

IOANNES RADIVILLVS. XCII.

QVartus, Nicolai Secundi, Palatini Vilnensis, filius Ioannes: frater Georgij, atque Nicolai Tertij, bellicosissimorum virorum, amicitia & consilio vtilissimus Regi Augusto. Corpus illi laborum tolerans & animus audax, quamuis litterarum à puero fuerit amans: sed qui solis in libris hærere contempserat, adolescensque reliquerat magistros, vt in Regum ac Principum aulis, tanquam in vera & liberali schola, tyrocinium poneret publicæ lucis. Quocirca pari vbique musarum & negotiorum studio creuit, genere quoque ac moribus ad eiusmodi eum vitã ferentibus. Et in album Senatorium à Sigismundo Primo transcriptus, Trocensis Castellani Titulum primo, deinde & supremi magni Duc. Lithuaniæ Marsalci officium decentissimè gessit; Patrisq; ac fratrum signa secutus, ordines bello Moscouitico ductauit, & illi insigni victoriæ de Tartaris ad Klockum, Michaeli Glinscio manus accommodauit. Sed cuius eximia virtus, diuinus generosi animi vigor, magna solertis ingenij vis, summa in periculis adeundis audacia, promptum in ijsdem depellendis consilium, indefessa bellicis in expeditionibus vigilantia, & mira in rebus omnibus industria, Starodubensi in expugnatione maxime emicuerunt. Reliqua victoriarum trophæa, posterior dicet ætas, quæ ille assiduis orationibus, strictissimis ieiunijs, & locorum sacrorum deuotis visitationibus (nam & limina Apostolorum sub Iulio II. religiosissime visitauerat) patriæ suæ charissimæ apud Deum impetrauerat. Obijtque plenus gloriæ, relicto vnico filio Nicolao, & apud Bernardinos Diui Francisci Sodales de Obseruantia Vilnæ sepultus est. Cui hoc breue epitaphium subscribamus.

Ioannes Radiuillus Castellanus Trocensis supremusq; M. D. Lithuaniæ Marsalcus. Vltimus, Nicolai Secundi Palatini Vilnen. F. Summus & ipse virtutibus, interque

interque paucos imbutus literis. Natura beneuolentiſs. Præfecturas à Rege Sigiſmundo, eiuſque F. Auguſto ſortitus, integerrime, nec ſine magna dignatione adminiſtrauit. Capitaleſque Lithuaniæ hoſtes Moſchos, prælijs aliquot vicit, & vrbes illis non paucas ademit. Tum & ſcythas in Podoliam incurrentes ſæpius cum alijs regni proceribus profligauit, ne tantummodo maiorum imaginibus fulgeret. Poſtquannum LX. Religioſiſſime obiens, maiorum ſepulchro Vilnæ illatus eſt. Plura iſte non capit lapis, abi Viator. & Vale.

NICOLAVS IV. RADIVILLVS. XCIII.

QVartum è ſtirpe Radiuillia Nicolaum Palatinum Vilnenſem magniq́ue Ducatus Lithuaniæ Supremum Marſalcum & Cancellarium, genuerat Ioannes Caſtellanus Trocenſis, quem puerum adhuc, ad exteras nationes, excolendũ ablegauerat. Qui luſtrata tota pene Europa, adoleſcētior in patriã reuerſus, expectatione celerius, omnẽ ſui admiratione ordinem, omnemq́ue ætatẽ in regia compleuit, ſeu equitandũ, ſeu tela mittenda, ſeu ductus in pariete orbis ſagittas expectabat, ſtatim æqualibus maior; tãtus deniq; erat cui poſſent magiſtri inuidere. Quibus profectò

profectò dotibus Regi Sigiſmundo maximè placebat: eiuſque deinde filio Auguſto in paucis charus, & prætorianis præfectus, conſortio fortium virorum maximè delectabatur. Cumq́ue patre in Moſcouia rudimentis militiæ poſitis, ter proprijs deinceps auſpicijs, albo iam ſenatorio adſcriptus, expeditionem in Liuoniam ſuſcepit, quod Theutones turbare finitimos aſſueti, de finibus cum Lithuanis diſceptarent; imminerentq́ue fœlici viciniæ. Igitur parum intereſt ſcribere quæ tumultuarijs & obſcuris manibus geſſimus. Vna fuit acies iuſta, qua profligati Germani Liuonius quoque poſſeſſione exuti ſunt. Et exercitus Radiuilli diues præda, vix captiuos capiebat, vix ſpolia; Albertum quoque Archiepiſcopum Rigenſem ex Marchionibus Brandeburgicis, Gothardumq́ue Magiſtrum Crucigerorum Generalem, Vilnam ad Regem deduxit: ſigillumq́ue Religionis, & Crucem, quam Magiſter collo appenſam portabat, aliaq́ue inſignium inſtituti, in pleno ſenatu Regi reddidit. Igitur rebus tam præclare geſtis, auctoritate, conſtantia, famaq́ue inter ſuos auctior, ad Carolum V. & Ferdinandum Cæſarem, pro Republica legatus. Erneſtum Archiducem è ſacro baptizmatis fonte leuauit; & rebus ex animo peractis, ad Regem ſuum in Poloniam haud inglorius redijt; atque demum plenus dierum, Anno Virginei partus, 1567. perijt. Vir pacis belliq́ue artibus, & in primis clementia, liberalitateq́ue longè clariſſimus: niſi Lutherano delirio virtutes egregias inquinaſſet: Quatuor filios, itidem bello inclytos, nec deteriores ingenijs (qui, vt inquit Valerius Maximus patriæ rem non ſuam augere properabant) reliquit. Nicolaum Hieroſolymitana peregrinatione clarum: Georgium, Vilnenſem primò deinde Cracouienſem Epiſcopum, & S. R. E. Cardinalem; Albertum ſupremum M.D.L. Marſalcum: & Stanislaum Samogitiæ Toparcham: qui cum plurimis lachrymis, patre pro concione laudato funeratoq́ue ampliſſime, proprijs manibus Vrnam Mauſoleo inferre non erubuerunt. Nos breuiter epitaphium adſcribamus.

Nicolaus, eius nominis IV. ſtirpis Radiuilliæ, Palatinus Vilnenſis, ſupremuſq́ue magni Ducatus Lithuaniæ, Marſalcus & Cancellarius: virtutibus famaq́ue clariſſi-

clarissimus: sciens viris fortibus summã mercedem esse, gratæ posteritatis memoriam, vt semper in ore posthumantium ipse maneret, ingenti prudẽtia, regnante Sigismundo Augusto, apud quem summe gratiosus erat, possessam à Theuthonibus, aliquot sæculis Liuoniam, Regno Poloniæ adiunxit: splendidissimaque legatione, ad Austriacos Cæsares, patriam exornauit: & vt humanitate præcipuus erat, in homines fortitudine aut literis notos, toto vitę cursu, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ, vllam occasionem omisit. Eosque præcipue quos fama amauit, admiratus est: atque demum ætate prouecta, morbo solutus, filiorum humeris elatus fuit. Qui patri beneficentiss. saxum hoc doloris testimonium pos.

NICO-

NICOLAVS V. RADIVILLVS. XCIV.

NIcolaus Quintus è domo Radiuillia, nepos Ioannis, cupiditate sciendi, quæ tellus, quiue homines extra Sarmatiam essent, iuuenis admodum, Europam vniuersam peragrauit; subque Rege Augusto in patriam redux, statim ab illo, ob egregias animi dotes, Curiæ Magni Ducatus Lithuaniæ Marsalcus, vix octodecem annos habẽs, fuit creatus. Quo fatis sublato, cùm Henricus Galliarum in Regem esset à Polonis electus, Nicolaus cum alijs duodecim proceribus è Senatu, ad accersendum & deducendum eum fuit deputatus in Oratorem. Stephano deinde rebus potiente, Supremus Lithuaniæ Marsalcus erat renunciatus; tum ad Serenissimum Sigismundum III. regno deuoluto, Castellanus primò Trocensis deinde Palatinus ibidem, fuit ab eo declaratus. Quam quidem illè dignitatem resignabat ob valetudinem aduersam, etiam honorum facietatem prætendens: cæterum Rex sapientissimus Sigismundus III. vtilem eum Reipub. videns, non modo susceptos honores non permisit seponere, verumetiam in Vilnensem Palatinum sublimauit, & maiorum suorum exemplo Spartam ornare iussit. Siquidẽ non cuiuis solet ille honores mandare, sed non nisi nobilitatem maiorũ, claritudinem militiæ, inlustresque domi artes spectando. Ad bella igitur gerenda, Nicolaus noster à patre Viro fortissimo formatus, adolescentulus adhuc, sub Rege Augusto, in Moscouiam profectus, ordines ad Vlam ducebat; sub Stephano verò, ad Gedanum alarum præfectus, illi Dersauiensi victoriæ interfuit. Et Heroas non aliter quæsijsse sibi laudẽ sciens, quam eiusmodi periculis atque vita, in Moscouiam iterum, integræ legioni rector datus, abijt, & gloriæ auidus, toto illo bello strenue se atque amanter pro patria gessit. Cum verò ad bolociam, globo bombardæ caput feritus esset, votum si conualuisset, visitandi sepulchrum Domini Hierosolymis, concepit: quod & exsoluit religiosissimè, Princeps virtutibus & animi magnitudine, itemque benignitate, cum optimis quibusque omnium sæculorum Megistanis comparandus. Qui & ciuili tumultu, nostris temporibus in patria exorto, non licentiæ populari adhæsit, sed Regiæ dignitati prouidendum putauit. Et vt erat in Mathesi, Geographia, medicina, atque Theologia (vt hic linguarum exoticarum

 peritiam

peritiam omittam) optimè versatus, dicendique peritia conspicuus, id quod patriæ vtilissimum censuit, in Senatu semper grauiter suasit. Liberalitatis in subditos, religiosos, literatos, egenos & externos profusissimè fuit: censumque perpetuum, pro elocandis virginibus, & redimendis captiuis, fundauit. Monasteria, collegia, templa, palatia, Xenodochia quamplurima erexit: quæ singula ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia aut ambitione fecit, bonæ tantum conscientiæ pretio ductus. Plenusque operum bonorum, Anno salutis 1616. Mense Februario, in Domino obdormiuit, habitu peregrini Nesuisiæ apud Patres Societatis IESV, sepultus; cum inscriptione, ad Christi crucifixi imaginem. Aduena ego sum, & peregrinus apud te, sicut omnes patres mei. Filios quatuor reliquit, Ioannem, Albertum, Alexandrum, & Carolum Equitem Melitensem, æmulos virtutum suarum, clarosq; rerum fama ac militum studijs. Sed nos pro instituto nostro, epitaphium adscribamus.

Heus Viator. Iacet sub hoc marmore incomparabilis Heros, Nicolaus Christophorus vulgo peregrinus dictus, Quintus, huius nominis, è domo Radiuillia Palatinus Vilnẽsis. Dux, in Olica & Nesuisia: Comes, Myrhæ & Sydloueciæ: præfectusque Saulensis. Sancti sepulchri eques. Ac Sacri Romani Imperij, primus Senator & Princeps. Iustitia, fortitudine, magnificentia, liberalitate, animique moderatione, & pietate singulari, inter sui sæculi Megistanas eximius: interque viros literis, atque armis præcipuos merito cõnume-

randus. Vtpote qui, virtutum commendatione, quatuor Regibus Poloniæ, Sigis. Augusto, Henrico, Stephano, & Sigismundo III. Charis. fuit. Cuius hic laudes leuiter libasse, sit detraxisse: igitur tibi, vno verbo, Viator, edisseram. Amisit in illo clerus fundatorem: Ecclesia protectorem: pauperes benefactorem: patria senatorem: Rex administrum: miles magistrum: filij parentem: subditique Dominum, longe beneficentissimum. Quorum voto corpus monumentum animam cælum, memoriam vero posteritas, in benedictione seruet. Abi itaque, & pro mortuo ora.

Qui, Anno salutis humanæ M.DC.XVI. vita functus est.

NICOLAVS VI. RADIVILLVS. XCV.

SExtum huius nominis, è stirpe Radiuillia, Palatinum Vilnensem, Birzæ & Dubincarum Ducem, virum semper animis successuque egregium, numeramus. Qui regnante Sigismundo Augusto, bello Mosco-

uitico legioni tribunus præerat, & arce Tauris expugnata, grandes hostium copias, qui ſubſidio ſuis veniebant, profligauit. Et iuuenis admodum ſub Georgio patruo merens, aſſueuit elementis negocioſæ & exercitæ vitæ. Albo deinde Senatorio adſcriptus, interregnorum tempore, publicæ libertatis acerrimus defenſor fuit. Atque ſub Rege Stephano, Lithuanicarum copiarum Generalis factus, in obſidione & expugnatione Polocenſi, multum præſtitit operæ, & qui ſolus ad id bellum artes bonas attuliſſe videtur, ſciens quod legati tribuniq́ue ex moribus imperatorum ſeueritatem æmulantur, vel tempeſtiuis conuiuijs gaudent: perindeq́ue, & miles intentus, aut licentior. Quapropter diſciplinam ex antiquo rigore obſeruauit, & ne miles officium exueret, diligentiſſime curauit. Idem fecit quoque & in Liuonia, cum Carolum Sudermaniæ Principem, & Regni Suetici incubatorem, iuſſu Sereniſſimi Regis Sigiſmundi Tertij, bello propelleret; firmasq́ue legiones & aſſuetas diſciplinæ in eum duxit; vnde etiam facile victor extitit, & ſecundis eum aliquot prælijs profligauit. Carolusq́ue Liuonia pulſus, cum ſuis non ſemel terga vertit, caſtriſq́ue ſæpius & armatura grauiori exutus, turpiter fugit, pudenda omne in æuum nota. Nicolaus autem ſobole filiorum omnino felix exceſſit è vita, ſeptuagenario proximus, qu um Ioannem & Chriſtophorum filios aſſurrexiſſe in indolem dignam maioribus aſpexiſſet. Et Ioannes quidem Caſtellani Vilnenſis titulo, virtuteq́ue eximius, fato immaturo eſt iam interceptus, Chriſtophorum verò militare decus in Radiuillia domo, clarioribus ſuperadditis victoriarum trophæis ad ſummam gloriam vadentem, boni omnes, votis pijs proſequimur. Aſt nunc Nicolao ob ingentia in Rempub. merita hoc breue Cenotaphium ſcribendo epitaphio erigamus.

Qui legis, mortem incuſato, quæ Nicolaum, eius nominis, Sextum, è proſapia Radiuillia, Palatinum Vilnenſem, Birzę & Dubincarum Ducem, acerbiſſime ſepeliuit. Virum intra paucos, fortitudine & prudentia inſignem, magniſq́ue opibus, & clientelis potentem. Qui ſummus militiæ Lithuanæ Magiſter, à Stephano ſapientiſſimo Rege factus, multa præclara, bellis Liuonicis, atque Moſcouiticis geſſit, quæ omnis conſequens ætas, meritis laudibus celebrare non deſiſtet: multosque egregios Duces, & negotiorum vſu exercitos, è ſua diſciplina reliquit: tum quoque filios duos, militaris gloriæ æmulos. Qui illi, omni polita doctrina, & eloquentia, cum ijs, quos mirata eſt antiquitas, comparando, immortalium cauſam lachrymarum, hanc Vrnam erexerunt.

STANISLAVS LESNIOVOLSCIVS. XCVI.

HAud immerito viris bellatoribus, Stanislaum Leſniouolſcium, generis nobilitate, & virtutum ornamentis eximium, adnumerandũ cenſuimus. Is ſiquidem iuuenis, & vixdum integræ ætatis, omnes belli Duces, expediti conſilij grauitate, & quoſque manu promptiſſimos ſingulorum ordinum præfectos, in obeundis periculis, præclaro impauidi animi auſu, æquè mirus & felix ſuperare didicit. Regnanteq́ue Sigiſmundo Auguſto, contra Moſcos bellum molientes miſſus, ad Neucliam magno

gno cum successu pugnauit. Etenim quadraginta Moscorum millia, tantummodò mille quingentis equitibus Polonis, non repressit solum, sed magna ex parte etiam profligauit. In quo sanè conflictu, eminuit maximè virtus & fortitudo Stanislai Zamoiscij, Nicolai Sienaruij, Ioannis Zborouij, Ioannis Potocij, & Iacobi Secigniouij, cohortium præfectorum, cum quibus flos nobilium, & generosa militum soboles auida periculorum, & quietis impatiens, cui campus Martius est seges & materies gloriæ. Ob tam igitur insigne meritum viro fortissimo hoc breue epitaphium ascribamus.

Stanislai Lesniouolscij, Castellani Ciechanouiensis, Ioannisque Tarnouij, exercituum Polonicorum, Imperatoris, in Moscouia legati, ex antiquissimo Sarmatarum sanguine, hic ossa clauduntur, donec dies Domini magnus adueniat: cui victoria de Moschis Neueliensi præclaro, grata agnatorum posteritas, hunc tumulum honorarium E. C.

ROMANVS SANGVSCVS. XCVII.

SEquitur Vir omni genere virtutum excellens Romanus Sanguscus, Lithuanicarum copiarum, sub Rege Sigismundo Augusto, Campiductor, qui durante bello Moscouitico Vlam & Susam, munitissimas hostium arces obsidione fatigatas diuturna, ad extremum fortissime expugnauit; sæpiusque eorum copias subsidio obsessis venientes, parua manu feliciter fudit. Tum quoque illi prælio ad Vlam, cum Nicolao Radiuillo

uillo interfuit, quum triginta Moscorum millia, cum Petro Suscio eorũ Duce, ad internecionem fuerunt deleta. Similiter bellis Liuonicis cum Ioanne Chodkieuicio exercituum imperatore, Equitum Magister, ingentem patriæ operam præstitit; absque Rege Augusto ob id albo Senatorio adscriptus, titulum Palatini Braslauiensis decentissime gessit. Cui pro virtute & meritis hoc breue Elogium sepulchro inscribamus.

Romanus Sanguscus, Palatinus Braslauiensis, & Equitum Magni Ducatus Lithuaniæ Magister: rarissimum gloriæ militaris exemplum: ob egregia facinora cũctis Caris. (sed præcipue Regi Sigismundo Augusto cognato suo) in flore ætatis è magna rerũ expectatione Præreptus; hic tegitur depositus. Viator, dic strenui bellatoris manibus, bona verba, & scias eum fuisse ortum in Russia alba, familia vetere & honorata, atque ex Principibus Lithuaniæ.

STANISLAVS PACZ. XCVIII.

INter alios complures, qui è schola Georgij Radiuilli, viri fortissimi prodierunt, etiam Stanislaus Pacz egregij Ducis nomen promeruit; qui bellis varijs exercitatus. non minus scientia militari, quam multiplici eruditione, ac rerum experientia insignis fuit. Is collecta nobilitate Palatinatus Vitebscensis, qui duo millia leuis armaturæ faciebant, contra Moscum, qui id temporis Iezierisciam, tredecim millibus armatorum grauiter

grauiter oppugnabat, citato progressus, manus cum eo audacter conseruit, octoque millibus in acie occisis, reliquos in fugam turpissimam vertit, & castris omnibus, tormentisque æneis potitus, paucis ex suis amissis, Victor Vitebscum rediit, ac tandem ad Regem Augustum cum signis & trophæis hostium, Vilnam peruenit. In quo sanè conflictu, præcipuè laudata fuit virtus Isidori Vexilliferi Vitebscensis, & Ioannis Snieporodi, Tenutarij, vt vocant, itidem Vitebscensis, virorum fortissimorum, & qui veræ gloriæ gustum habebant. Sed Stanislaum ductorem eorum, præcipuè pro more nostro epitaphio exornemus.

Stanislaus Pacz, Magni Ducatus Lithuaniæ dapifer, inter Duces, qui militarem impetum ratione compositum habent, aut fortuna propitium, merito connumerandus, hoc tegitur tumulo. Quem post præclaram illam, apud Iezieriściam, de Moschis victoriam, in medio fortunarum cursu, vt desiderabiliorem nobis, sic & feliciorem sibi, mors immatura extinxit. Anno.

HIERONYMUS LASCIUS. XCIX.

INter viros, quos diu regijs amicitijs florentes, ab suo denique axe fortuna excussit, etiam Hieronymus Lascius censendus est; qui cum vir magno animo esset, multisque legationibus apud exteros Principes, & domi inter optimates bellica gloria floreret: multos facile æmulos inuenit:

nit; præ quibus dum in patria emergere non posset, Regi Vngariæ Ioanni, qui tum cum Ferdinando Cæsare bellum gerebat, operam suam nauauit. Hunc igitur exulem in Polonia humanissimè excepit, consilioque suo (quamuis Reipub. Christianæ exitioso) & opibus iuuit; patrociniumque illi apud Solimanum Turcarum Imperatorem impetrauit, & Regno Vngariæ eius viribus restituit. Quo nomine apud Ioannem Regẽ gratia authoritateque valebat summa, eiusque virtute Rex vsus, non paucis de Ferdinando Cæsare victorijs clarus exstitit. Is siquidem rerum bellicarũ peritus, aduersus valida Germanorum agmina, acies suorum optimè instruebat; callebatque egregiè omnes astus militares. Iam autem summa ratio à Ducibus belli ineunda est, vt acies pro numero sui & hostis exercitus, proque temporis & loci circumstantia disponantur. Vere enim dixit, prudens ille Romanæ militiæ scriptor. Si acies sapienter disponatur, plurimum iuuare: sin imperitè, quamuis optimi bellatores, mala dispositione frangi. Quare apud Ioannem. Regem fortitudinis & prudentiæ opinione adeo omnia potuit, vt illius nomine ipse regnaret, namq; Rex ipse omnia maioris momenti negocia vltrò in ipsum contulerat qui præter animi egregias dotes ita excellenti etiam forma & venustate faciei extitit, vt nihil ipsi magnum præter regnum deesse videretur. Idcirco eum Vngari in tanta gratia non valentes ferre, criminati sunt occultè sæpius, quasi pœniteret regno Ioannem restituisse. Itaque Rex eum in carcerem coniecit: vnde postea opera Sigismundi Regis Poloniæ liberatus, qui eo Ioannem Tarnouium miserat, ad Ferdinandum Cæsarem transijt, volens Ioannem Regem vltum ire, offensus hac ingratitudine eius. Quod & re ipsa præstitisset, si diutius superuixisset. Cæterum morte ex veneno, vt aiunt, Constantinopoli sibi porrecto, in paucis mensibus consumptus, finem tragœdiæ fecit. Sed affigamus etiam epitaphium loculo, in quo aromatibus conditus, ad locum sepulturæ Cracouiam deportatus fuit.

Hieronymus Comes de Lasko: Palatinus Siradiensis. Vir, præter stemmatis nobilitatem, sapientia ac doctrina, multiplicique rerum vsu illustris, & patriæ

 magnus

magnus Senator, magnus Orator, magnuſq; demum Bellator. Hac exigua Vrna clauditur. Quem, militari, atque imperatoria florentem laude, vſque adeo Patrum noſtrorum ętas admirata eſt, vt eum priſcis illis Ducibus, qui ſummæ virtutis opinionem & famam ſunt conſecuti, nō temere compararet; quod ſingulorum peculiares quaſdam virtutes æmulari, arguтiſſimoque ingenio, decerpere videretur. Obijt Anno 1542.

C. *STANISLAVS LASCIVS.*

HIeronymo fratrem Stanislaum adijciamus, egregijs maioribus & fraterna imagine fulgentem, qui bellis, inter Franciſcum Primum Regem Galliæ, & Carolum V. Imperatorem; acerrimè durantibus, totam iuuenilem ætatem in Francia militando conſumpſit, ſecutuſqu e caſtra illius in Italiam, vna cum Rege ad Ticinum captus fuit. Et tandem in patriam reuerſus, legationes complures ad diuerſos Principes obiuit, ſed præcipuè ad comitia Imperij, Auguſtam vindelicorum. Duxit quoque legionem vnam, contra Crucigeros bello Pruthenico durante; vbi promeruit, vt in locum fratris defuncti, albo Senatorio adſcriptus, Palatini Siradienſis, titulum haberet. Cuius quoque immortali memoriæ optimo iure hoc breue Cenotaphium demus.

Hic ſitus eſt, Staniſlaus Laſcius, lumen atque ornamētum patriæ, qui Regis Galliarum Franciſci I. ſigna ſecutus, extremum pene periculum, bello Italico adijt, & carcerem Diuticini pertulit. Quo tandem liberatus, quum in patriam rediret, eius genus & induſtria, ſpirituſque illi ſenatorij, domi ac foris cogniti, apud Sigiſmundum Regem ſunt ſuffragati, vt Siradienſis Palatinus eſſet.

ALBERTVS LASCIVS: CI.

EX omnibus Sarmatiæ Dynaſtis, qui libertatis auctores celebrabantur, maximè Comites à Laſco, apud ſcriptores memorantur: inter quos Albertus quoque Hieronymi filius, animi magnitudine, & artibus militiæ præſtantiſſimus: Inuenire amicitias, & colere optimus, nudis inter ſynceros affectibus: Hic itaque Europa vniuerſa peragrata, varijs ſeſe bellis exercuit: factuſque in loco paterno Palatinus Siradienſis, vt fuit illi viro ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatum, plurimum in ſenatu ſententia valuit, maximè cum de rebus bellicis diſſerendum eſſet. Collectoque mediocri ex Polonis, Vngaris, & alijs exteris exercitu, eoque per Scepuſium & Vngariam, quod per Poloniam ei non liceret, in Valachiam ducto, Iacobum quendam Heraclitem, natione Græcum (qui ab antiquis Valachiæ regulis genus ſuum repetebat, ſeque inſularum in Ægeo, Sami Deſpotam, & pari Marchionem nominabat) contra Alexandrum Ralachiæ Palatinum, armata manu in Valachiam deduxit. Erat tum Alexander ob tyrannidem & crudelitatem erga ſuos infamis; ideoque omnibus inuiſus. Hunc numeroſo exercitu inſtructum Laſcius longè impar copijs fudit, & Moldauia exuit: totamque ditionem armis domitam Iacobo Deſpotæ, poſſidendam tradidit. Et

quanquam omnes maiores nostri, iuuentutem exercuerunt, hastilia iacere, sudem torquere, equum agitare, arma tractare: præcipuè tamen Lascio hæc cura fuit, in Valachiam tum cum exercitu tendenti, vbi magna cum diligentia milites suos aliquoties in hebdomada adsuefaciebat, vt maiore impetu in hostem procurrerent, vt loca oportuna celeriter occuparent, vt ad explorandum alacriter pergerent, vt fugientium terga facilius comprehenderent, vt hastas, enses, sclopeta commode tractare cōtra equites decurrere, tormenta bellica ocyus educere, aciem instruere, eamque pro ingenio loci, vel laxare, vel condensare, in læuum dextrumq; latus flectere, fossasque transilire dum opus, tempestiuè addiscerent. Quibus sic excultis, Tartaros Turcasque cum sæpè alias, tū apud Oczalcouiam, non solùm intra mœnia compulit, sed etiam per Pontum Euxinum turpi fuga terga dare coegit. Quapropter viro tam bene de patria merito, ad posterorum notitiam, marmor, hac epigrapho erigendum censuimus.

Albertus de Lasko, Palatinus Siradiensis, strenuus manu, & Consilio spectabilis: forma admodum liberali, & cui vel adspectus erat muta commendatio, inter viros nobiles literis armisque præcipuus, & Dacorum, Scytharum, Musulmanorumque cladibus in Moldauia atque Bessarabia, illustris: hoc sibi viuens sepulchrum confecit, defunctus vt sibi viuat, cum ante mortem, patriæ & amicis vixisset. Anno.

MI-

MICHAEL VISNIOVECIVS. CII.

INter Satrapas Russiæ, primum illustris famæ locū obtinuit, Michael Dux Visnioueccius, consiliorum prudentia eximius. Is quum per multos annos Constantino Ostrogio, alæ præfectus, operam nauasset; illique prælio cum Tartaris ad Lopusnam, vna cū filijs suis interfuisset, vbi viginti quinque millia barbarorum cæsa fuerunt: proprio etiam ductu Tartaros, non vno in loco feliciter profligauit; vsque adeo egregiè, vt pristinum Sarmaticæ dignitatis decus, quòd corrupta sensim disciplina, ab obitu Constantini Ostrogij perierat, insigni cum laude restitueret. Nam fortissimus & generosissimus quisque, spe laudis, ad eius signa coibat: atque ita effecto ingenti veteranorum equitum agmine, vltrò in Chersonesum Tauricam excurrebat; barbaros populabatur, trucidabat, Christianosque in seruitute illorum detentos sæpissimè liberabat. Cum autem in eum ipsum tempestas hostilis irrueret, in insulam quandam Borysthenis sese recipiebat: quæ in hodiernum à Cosachis Zagorosensibus possidetur, vocaturque insula Visniouecij. Hac igitur laude Visniouecius conspicuus, quum iam senectute grauis esset, & multa copia honorum, tandem vita excessit; tumulatusque est Vesniouecciæ, suæ tribus sumptuosissimo sepulchro ab se condito; cui par virtutibus epitaphium inscribamus.

Dis. Man. S. Michael Dux Visniouecius genere illustri, & vetere prosapia Principū Roxolanorum. Largus animo, & par opibus: vigēs ætate, cultu modicus, sermone facilis armorumque studio, & multis fortibus factis clarus. Postquā multos per annos, egregium vigorem, cōstantiam, bellis

tiam, & expertum bellis Tartaricis animum, Sigismundo I. eiusque F. Augusto, Regibus Poloniæ, probasset; in terris, vt cœlo frueretur, esse desijt. Anno.

DEMETRIVS VISNIOVECIVS. CIII.

DEmetrius Michaelis filius, in bellis exercitatissimus, & cuius nomen frequentes victoriæ apud Scythas, non solùm celebre, verumetiam formidabile reddiderant; regnante Sigismundo Augusto, à Valachis ad principatum vocatus fuerat. Dignus profectò ea fortuna Princeps, vtpote virtutibus & animi magnitudine, itemque liberalitate, cum optimis quibusque omnium sæculorum principibus comparandus. Cæterum tantæ virtuti, immitis fortuna obstitit, & non diu potitum, in præceps subitò deiecit. Siquidem Solimanus Turcarum immisso grandi exercitu, principatu eum post aliquot prælia & velitationes, deturbauit facillimè imparatum. Circumuentus itaque insidijs Barbarorum, in potestatē hostium deuenit: qui eum durissimo peruigilio diu torserunt. Tyrannusque ipse abdicata omni, vel regiæ clementiæ, vel iustæ humanitatis laude, quæ singularis fero eius ingenio proponebatur, crudelissimè in eum statuit, vncoq; ferreo in porta quadam Vrbis Constantinopolitanæ suspendi iussit. Cui inter dolores & tormenta constantissimo, & vel sola patientia Christiana cœlum promerito, hoc breue epitaphium Cenotaphio erigendo scribamus.

Demetrius Visniouecíæ Dux. Virtute bellica, & rebus armata manu gestis, nulli veterum Heroum Secundus: & in quo omnia ad æternitatem famæ conspirant: quum

quum dacorum votis in Principem expetitus, haud diu dignitatē suam, otthomanica potentia fractus, tueretur: intrepidi sane, sed non valde memoris & cauti Ducis, decus meruit. Barbarique iussu, inaudito supplicio peremptus, in martyrum requiem, post exantlatas, L. circiter annis, huius vitæ ærumnas, euolauit. Anno.

JOANNES TARNOVIVS. CIV.

SEquitur vt etiam Ioannem Tarnouium Comitem, albo Heroum interseramus, Palatinum primò Russiæ, à Sigismundo I. Rege Poloniæ creatum, deinde Castellanum Cracouiensem, Principem senatus, & omnis memoriæ clarissimum Ducem. Quem non tam vmbratilibus studijs, quàm virorum bellicosissimorum conuersatione delectatum fuisse, haud obscurè testantur Commentarij à se conscripti, bellicæ rei documenta continentes, & ab ipso rerum vsu petiti, dum in Africa, ductu & auspicijs Emmanuelis Lusitaniæ Regis militaret. Tum in patriam reuersus, copijsque totius Poloniæ præfectus, obseruare haud destitit, quod veteres philosophi in remilitari præscripsere. Ac proinde tantum virtute profecit, vt non solum nostros imperatores omnes, sed etiam illos veteres externos Scipiones, Marios ac Maximos, bellica laude adæquaret. Cui perpetua fuit consuetudo, vt quoties de re militari in concilio suo tractaret, literatos centuriones ac tribunos adhiberet: maximè eos qui Hostoriam norant: quum quidem subinde requireret, quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel Romani,

Romani, vel aliarum gentium, fecissent. Siquidem non erat illi satis, quod gesta veterum didicerat, & domi quotidie lectitabat, quod viros omnis eruditionis principes in familiari conuictu assidue secum habebat: sed etiam ab iis qui suum, vti dixi, participabant concilium, eandem periciam exegit: etiam inter deliberandum de summa Reipubl. facta maiorum praeclara voluit audire & doceri, atque demum posteris scripto tradere. Ac ob id Chronicon elegantissime scripsit, quasi non satis esset laudem meruisse, nisi dulcedo etiam gloriae, famaq; accederet. Caeterum quantum ad tractationem armorum, maximas res quasuis, mira celeritate, silentio, & rara felicitate gessit: & si quam ciuitatem obsessurus esset, aliamve militarem expeditionem suscepturus, cunctos propositi sui finem volebat celatos, dum tempus esset destinata exequi, vel propalari: Demens enim ac vanus ille est, qui priusquam necesse sit, negotiorum arcana cum multitudine communicat. Igitur hoc astu Turcas, cum tredecim millia in Podoliam irrupissent, cum paucis cohortibus suis, silenti agmine aggressus, feliciter profligauit. Bogdanum regulum Moldauiae, Chotimiae obsessum, Turcarumq; ac Tartarorum auxiliis ferocem in verba Regis sui, iurare coegit, & Pocuciam Polonorum prouinciam, ab illo possessam recepit. Itemq; Petrum Vaiuodam, eandem Pocuciam armis repetentem, ad Guosdeciam primo, cum sex millibus, deinde ad Obertinum, cum viginti & duobus millibus, deuicit quatuor millibus suorum, & tandem in arce Chotimensi obsessum, cum tota nobilitate Moldauica Regi Polono iusiurandum praestare iussit. Sicq; sese gessit, vt Valachos diuersis praeliis profligauit, & ad extremum regni finibus, magna cum sua laude depulerit. In Moscouiam quoque missus Starodubum vrbem munitissimam, quindecim millibus armatorum propugnatam, longe pauciori suorum militum numero, & virtute expugnauit. Itemq; Radogostiam & Homiam firmissimas arces per deditionem accepit. Et paulo ante in Hungariam ablegatus, cum sex millibus, operam singularem praestitit Ludouico Regi; praestitissetq; multo maiorem, si Hungari eius consilio vti voluissent. Dumq; Ferdinandus I. de Hungariae regno cum Turcis armis disceptaret, Tarnouium Ducem exercitibus suis praeferre destinauerat, cuius ille iam se subditum fore declarauerat comparatis in Bohemia plurimis possessionibus opimis, ob potentiam nimiam aemulorum in Polonia. Etenim quis non sciat, maximè potestatis viros, quiq; communem hominum sortem excellunt, aemulationi, inuidiaeq; aliorum obnoxios esse? Sed fatum superueniens, cogitationes omnes facile cum vita ipsa extinxit. Ne autem vetustas tem-

porum aut obliuio tanti viri memoriam extingueret, agnatorum grata posteritas, erecto marmore conseruandum curauit. Cui nos quoque superscribamus aliqua honoris & virtutis ergo.

Iacet sub hoc marmore, viator, laudatissimus regni Poloniae Senator, Ioannes comes Tarnouius, Castellanus Cracouiensis, copiarumq; sub Sigismundo I. eiusq; F. Augusto, Regibus sapientiss. Imperator optimus: vir vt prosapia magnus, & vna cum Lecho, originem Ducens: ita doctrina inter eruditissimos numerandus. Cuius tot extant victoriae, quot sunt regni Poloniae inimici: tot trophaea, quot vindicatae Prouinciae: tot triumphi, quot ab illo sub iugum missi hostes. Decessit ex mortalibus, Anno.

IOANNES CHODKIEVICIVS. CV.

NOn indigna patre proles, Ioannes, Gregorij Chodkieuicij Castellani Vilnensis F. viri tam belli artibus, ac scientia militari, quam multiplici rerum experientia insignis: non minus & ipse armorum peritia clarus, & magna dum vixit seueritatis fama. Qui tametsi ad saeuitiam natus videretur, apprime tamen consortio eruditorum virorum afficie-

 batur;

baturꝗ; præcipue Stricouij Archidiaconi Samogitiæ, quod vir ille & facetus esset, & loco ac tempori optime inseruire sciret, iocisq; atque salibus animum eius oblectaret. Is itaque regnante Sigismundo Augusto, campestris militiæ Præfectus, Petrum Suiscium, cum triginta millibus Moscorum venientem, iunctus Nicolao Radiuillo Duci militiæ supremo, ad Vlam prospere fudit. Et ab eo in Liuoniam missus, Archiepiscopum Rigensem, in Ducatum Transdunanum conuertit, & Canonicis Lutheri hæresim amplexis, prædia Ecclesiastica tanquam feuda ad hæredes transeuntia attribuit: nouosq; Castellanos, & alios magistratus, ad Reipubl. Polonæ formam creauit; ipse totius Liuoniæ Gubernator à Rege in Comitiis Varsouiensibus, iuncto Curlandiæ Duce, renunciatus. In quo quidem officio & vitam expirauit, Stephano Bathoræo rerum iam potiente. Cui in Moscum expeditionem paranti, noningentos equites iamiam moribundus ipse, officij ergo summiserat: qui difficillimo illo bello durante, vti exercitati & veterani, magno adiumento Regi fuerunt. Sed addamus, si placet, epitaphium, quod fortissimi clarissimiq; viri sepulchro inscribatur.

Claudit hæc vrna, viator, Ioannem Chodkieuicium, Samogitiæ clarissimum Toparcham, totiusq; Liuoniæ Gubernatorem, ac Lithuaniæ militiæ magistrum, priscæ seueritatis virum. Et qui militem operum & laboris ignarum, populationibusq; tantum lætantem, veterem ad morem reduxit, ne quis agmine decederet, ne pugnam nisi iussus iniret: idem populis subiectis, ius diligenter & industriæ dixit; vt neque modestiores vnquam, neque iustiores illo Prætores in Liuonia extiterint. Habuit & alias virtutes vere Heroicas, quibus toto vitæ discursu clarissimus, hostibus etiam gratus extitit. Vixit &c.

NICOLAVS TALVOSSVS.
CVI.

CHodkieuicio Samogitiæ Præfecto, Nicolaum Taluossum Samogitiæ Castellanum adiungamus: Virum fortem, & pace belloq; illustrem, & gnarum antiqui moris. Cuius Rex etiam ipse Sigismundus Augustus, forti fideliq; opera vsus, in Senatum eum, ob merita, adlegauit. Is cum esset vehementis spiritus vir, à puero statim castra Romani Sanguscij secutus, bellis Moscouiticis, miles primum, centurio deinde atque cohortium Præfectus, omnes pene gradus feliciter percurrit; cumq; Gregorio Chodkieuicio, & Nicolao Radiuillo, omnibus quæ tunc occurrerant bellorum expeditionibus, legionis tribunus interfuit. Tum à Ioanne Chodkieuicio militiæ Magistro, cui intime adhærebat, in Liuoniam missus, sex millia Suecorum ad villam Kirempe, haud procul à Reualia, ad internecionem pene deleuit, & cum spoliis opimis ad Chodkieuicium, atque captiuis hostium, victor rediit. Siquidem Taluossio ille, modo labores & discrimina, mox & gloriam communicabat: sæpeq; parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex euentu præficere solebat. Nec Taluossus vnquam in suam famam gestis exultauit, ad auctorem & Ducem, vt minister fortunam referebat. Quod faciendo, indies ipse illustrior fiebat: donec fatum superueniens, viridi senecta florentem oppressit. Cui nos quoque epitaphium integritatis atque virtutis ergo ponamus, quod nusquam præclaram iusti officij pietatem vlla in re erga patriæ decus intermisisset.

Nicolaus Taluossus, Samogitiæ Castellanus: Ioannisq; Chodkieuicij, exercituum Lithuaniæ Imperatoris, in Liuonia Legatus: vir manu & consiliis strenuus. Et in quo vno totius Antiquitatis memoriam, eruditionem, iudicium, & eloquentiam, Rex Sigismundus Augustus, admiratus, Sella eum Curuli donauit: Quam ille deinde obtenta de Suecis apud Reualiam, insigni victoria, longe illustriorem reddidit: & tandem ex Ophthalmia animo linquens, satisfecit naturæ, sexto Kal. Nouemb. MDLXXVIII.

STEPHANVS BATTHOREVS. CVII.

NAtus est Stephanus Rex Anno Christi 1533. V. Kal. Octobris, sub Ioanne Rege Hungariæ, Stephano Batthoreo, Palatino Transyluaniæ, patre: Catherina Thelegdia, matre, auis & parentibus clarissimis. Fratres habuit germanos duos, Andream & Christophorum: hunc Palatinum Transyluaniæ à se factum: illum Isabellæ Reginæ Hungariæ, supremum palatij præfectum. Optimarum artium, & humanitatis studia, domi primum attigit; & in ijs tantos profectus fecit, vt maximam virtutis & ingenij sui expectationem apud omnes excitaret. Demum à domestica disciplina, ad aulam Ferdinandi Cæsaris profectus: tantique

inibi

inibi æstimatus, vt Catharinæ Cęsaris filiæ, Mantuam ad maritum deducendæ, honoris gratia, adiungeretur. Latini itaque Italici atq; Germanici sermonis peritus, ita, vt scribere & loqui eleganter satis posset; mores insuper populorum externorum, & aulas Principum pernouit. Hoc est, Caroli V. Imp. Ferdinandi & Maximiliani Cæsarum, Ioannis Regis Hungariæ, Principumque Germanię & Italiæ nonnullorum; vnde sibi vsum rerum gerendarum, & prudentiam ingentem comparauit. Ob quam, redux in patriam; summo in honore apud omnes, apud Ioannem verò Transyluaniæ Principem in gratia habitus, copias eius ductabat, & Faradino præfectus fuit. Ardenteque patria ciuili bello ob duos simul Reges electos, Ioannem nimirum & Ferdinandum, multa pericula adijt, multoties manus cum hoste conseruit: sępius instabilem fortunam expertus. In pugna etenim ad Hadanum, aliquot lethalia vulnera accepit: & cum Nartendio decertans, non modò prælio victus, sed captus etiam, & compedibus iniectis malè est habitus. Non despondit attamen animum, vel illius Polybiani memor. Qui in aliquem casum inciderit, si id animosè fortiterque tulerit, plerumque fortunam suam in melius mutat. Quapropter non militaribus modò studijs, fortunam suam subleuare voluit, sed prudentia quoque ciuili, consilio, iudicio, legationibusque ad Ferdinandum & Maximilianum Cæsares: quibus peractis, & fidem & industriam suam patriæ probauit. Verumtamen & hic aduersam fortunam agnouit. In ipsa etenim legatione, obturbatas, se absente conditiones pacis, iussu Cæsaris Viennæ captus, & vltra biennium, sub custodia fuit detentus. Casparo Belciessio, vt aiunt, authore: cui Stephani virtus formidolosa esse cœperat. Cæterum quia fortis præcipuè & magni animi est, constanter & æquiter ferre extrema quæque, & Fortunam nouercantem rectis æquisq; oculis adspicere: idcirco Stephanus, minimè hoc infortunio permotus, totum illud detentionis suę tempus, tum antiquitatis eruditæ monumentis, tum summis viris in aula Cæsaris, legatisque externis cognoscendis impendit. Inter quos etiam erat vnus, Franciscus Crasinius, Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, apud Cæsarem tum Orator, qui pro Stephano, in libertatem asserendo magnopere laborauit. Ioanne itaque Principe Transyluaniæ è viuis sublato, non eblanditis, sed enucleatis omnium suffragijs, ad Principatum euectus, Belciessium ipsius Ioannis designatione, eodem aspirantem, armis aggressus, arcem eius Fogarassum intercepit: eoque ipso vix fuga elapso, in suam possessionem accepit, & pręsidio imminuit; atque omnem illum Transyluaniæ motum compescuit. Cumque Ma-

ximi-

ximiliani Cęſaris copijs adiutus, bello repetere Tranſyluaniam vellet, non modò eum vicit prælio, fugauitque: ſed regnum inſuper Poloniæ, occulta quadam fatorum via, obtinuit, cunctis in eum conſentientibus; qui primò Maximilianum Cęſarem, per Archiepiſcopum Gneſnenſem, more patrio Regem renunciauerant. Igitur Maximiliano, dum adeundę Polonię modum, cum ordinibus Imperij, in comitijs Ratiſbonenſibus diſquirit, fatis è vita ſublato, Belceſſius dum nullibi refugium habet, & Stephanum ſupplex accurrit, & non modò culpę veniam, ſed egeſtati etiam ſuæ, luculentum inuenit perfugium. Cum itaque morte Cęſaris, certum iam ſibi regnum feciſſet, Gedanenſium imprimis temeritatem reprimendam ſtatuit: quos opidò Derſanienſi prælio fregit, & aliquot menſium obſidione, ad officium reuocauit. Deinde Magnum Moſcorum Ducem, Ioannem Baſilij filium, Liuoniam atque Lituaniã, Regni Poloniæ prouincias inuadentem, bello repellere, tumidoſque eius conatus contundere propoſuit. Ac imprimis Polociam Lituanis aliquando ademptam aggreſſus eſt; atque vna eademque expeditione Socolam, Suſiam, Cozianam, Nieſcerdam, Craſnam, Vſuiatam, aliaſque complures hoſtiles arces & munitiones in poteſtatem ſuam redegit. Cæſiſque aliquot hoſtium millibus ad internecionem, nonnullos eius ore proceres, & copiarum ducem Seremetum, Viluam in triumphum duxit. Verè autem adulto, iterum per inuia & immenſa terrarum ſpacia exercitum ducens Velicolucos, Neueliam, Zauolociam, vniuerſamque prouinciam illam ſubiungauit, hominum millibus aliquot, qui obſtinatius ſe defenderant, interfectis, magis furore Martis, quàm ira vindictæ. Tertiò demum progreſſus cum exercitu ad Pleſcouiam, primo aſſaltu Oſtrouiam, munitiſſimorum arcem expugnauit: nec mora & Pleſconiam ipſam irruptione pertentauit, Donec cura & auctoritate Pontificis Maximi, ad pacis conditiones reuocatus, pręmium victoriæ, Liuoniam vniuerſam à Tyranno acciperet. Et ſic tribus expeditionibus, tres prouincias florentiſſimas, quibus incubabat quoque Baſilius ille tyrannide inclytus, à Ioanne filio eius, paulò mitiore, recuperatas, in libertatem priſtinam aſſeruit, Polociam ſcilicet, Veliſiam & Liuoniam. Atque ita vniuerſam Poloniam pace tot annis deſiderata donauit. Tum demum ad conſtituendam Remp. totum ſe conuertit. Sed vt ſunt fallaces ſpęs hominum, contracto ex aſperrima venatione fatali morbo paucis diebus abſumptus eſt, qui totus in eo erat vt Turcis bellum inferret. Cuius memoriæ honores, quamuis largè ab Senatu decretæ fuiſſent: nos tamen more noſtro affigamus Cenotaphium loculo, in quo armatibus conditus Grodma, Cracouiam translatus eſt.

Habet hic loculus, viator, Theſaurum Maximum: nec odor quem ſentis ex aromatibus eſt, ne forte neſcias, ſed ex virtutibus eximijs, quibus effloreſcit, quæque concertant inter ſe, in Harmoniam odorum ſingularem.

Fragrat hic admirabilis fortitudo, cum egregia membrorum proceritate, ac vultus totiuſque corporis dignitate.

Hic latet, qui eximijs animi, corporiſque dotibus, melius quam Nardo, Myrrha, caſia, opobalſamo conditus eſt. Qui animi moderationem, in ipſo vertice rerum humanarum tenuit. Qui hoſtes dominandi libidine inflammatos, potentia feros, vicinitate infeſtos, fama rerum geſtarum formidabiles alijs, ſua virtute perdomuit. Qui denique bello clarus, pace iuſtus, conſilio grauis, & animo ſemper inuictus extitit.

Hic vt verbo expediam, Stephanus Batthoreus eſt, ille Sarmatici orbis deli-

ciæ,

ciæ, illud Transyluanicæ gentis decus, illud columen ac firmamentum Lechiticę gentis: Ille Hungarorum ac Polonorum parens: Ille clarissimus tyranni Moschovitici debellator: Ille denique, qui vere audijt pater patriæ: & qui aucta Velisio atque Polocia, Lithuania, recuperata Liuonia: pacata Podolia: Mechmete & Aschlancherei Tartarorum chamis perterritis: Podkoua & Iancula Valachis castigatis: Amuratis Turcæ minacissimis legationibus contemptis: omnium Regũ, Principum, & populorum, nationumq; ora in se vnus conuerterat.

Hic inquam, expletis LIV. ætatis suæ annis, cum toto decennio & septem mensibus regnasset, anno salutiferi partus MDLXXXV. Idibus Decembris, breuem huius æui gloriam, æterna commutauit.

NICO-

NICOLAVS MELECIVS. CVIII.

STephanum Regem, sequitur copiarum suarum ductor Nicolaus Melecius, Podoliæ Palatinus: vir fortis, ac genere, ingenio, opibusque præstans. Is regnante Sigisinundo Augusto, Bogdanum Principem Valachiæ eiectum à subditis, in Valachiam deduxit, & ad Tyram fluuium à Turcis atque Dacis ipsis circumuentus, rem strenuè gessit, exercitumque magna cum laude incolumem reduxit: Tartaros quoque Podoliam vastantes sæpius fortiter repressit, suorum & hostium vires prudenter considerando potius, ac conseruando, quàm temerè cum impari numero confligendo. Iam autem quis nescit? difficulter eum vinci posse, qui de suis & aduersarij copijs, simul etiam de locorum situ & ingenio certo potest iudicare? Prouidebat itaque, vt potius in nocendo aliquid omitteretur, quàm cum aliquo militum detrimento noceretur. Quapropter licet centum millium armatorum, exercitum in expeditionem Liuonicam duceret, ad pacis tamen conditiones Magistrum Crucigerorum confugientem, bellumque deprecantem, pacificæ potius sub tutelam Regis recipere maluit, quam munitissimas vrbes expugnando gloriam inanem quærere, aut militibus suis aliquod detrimentum difficili bello inferre. Bello tamen Moschouitico sub Stephano Rege, quam hostes pertinacius sese defenderent, acrius insistendum putauit, & satis inlustrem, rebus ad Socolum benè gestis, adeptus adoream. At pro secunda expeditione, honorum societatum, ac requiem laborum prętendens, excusauit apud Regem se ire in Moscouiam posse; atque simul fortunæ nobilitatem secum contemplans, decreuit se imperio abdicare, & in priuatam secedere vitam, qui omnibus copijs pręfuit, quando Polocensis terra ab hoste est recepta; cum quisque de rebus futuris ambiguus sit, ille non expectauit incertę vicissitudinis aleam. Rarò enim permanent vsque ad exitum successus. Vbi tamen fortibus & bonis honos exhibetur, ignauis verò & nequam hominibus pœna irrogatur, bonam illic spem fouere exercitum necesse est: nam isti quidem peccare metuent, illi verò fortiter faciendo gloriam ambitiosè adfectabant. Sed cohonestemus sepulchrum, tanti viri, hac breui Epigraphe.

 Nico-

Nicolaus Melecius, Podoliæ olim Palatinus, & copiarum Regni Poloniæ supremus præfectus: hoc paruo contegor tumulo. Quæque superis, naturæ, patriæ charissimæ, Regi meo, & amicis debui: Persolui. Hospes, si pie patriam amas, quæso ne inuideas: optimè enim nosti, vltra vires, neminem agere posse.

CIX. PHILO KMITA.

PRoducamus & Philonem Kmitam, Smolenſci Palatinum, qui regnante Sigiſmundo Auguſto, non impigre operam ſuam bellis Moſcouiticis Nicolao Radiuillo Copiarum Duci præſtiterat, ciuiliumque rerum ſcientiſſimus erat; natura & inſtitutione factus ad gerendam Rempub. Igitur in ſenatu cooptatus, non ſolùm ex prima nobilitate, ſed & virum ſe eſſe demonſtrabat: nam & proceritas corporis, & honor capitis, & dignitas oris longè lateque purpuratum oſtentabant. Qui loquebatur etiam ita elato, ab ingenti virtutum ſuarum fiducia, animo, vt nullum ferox verbum excideret; ingenſque omnibus quæ ageret, cum decor ineſſet, tum fides. Is igitur exorto denuo contra Moſcouitas, ſub Stephano Rege, bello, diuerſas, hoſtium prouincias, ſecundis populationibus peruaſtauit, ad Starodubum præſertim & Nouogardiam; vbi & arces munitiſſimas Pocopouiam videlicet, Chelmam & Ruſſam fortiter expugnauit. Cùmque ſemel in agrum Smolenſcenſem, cum mille ſeptingentis leuioris armaturę equitibus, quos vulgo Coſachos dicimus, excurriſſet, offenſis decem millibus hoſtium, qui in Lithuaniam prædandi cauſa ibant, nonies acie cum illis decertauit, & multis ex eis occiſis, captiſque nonnullis præſtantioribus, paucis ſuis deſideratis Orſam ſe retulit, & aquilam captam Regi Stephano Victoriæ teſtem Varſouiam miſit, totoque bello Moſcouitico, cum ſuis cohortibus durans Ioanni Famoſcio copiarum Duci operam egregiam nauauit. Cui ob indolem & virtutes hoc breue epitaphium ſcribamus.

Claudit hoc ſaxum, viator, clariſſimum Sarmatici Senatus virum, Philonem Kmitam, Palatinum Smolenſcenſem: animi magnitudine, armorum peritia, antiquis ducibus æquandum. Qui multos per annos, apud Sigiſmundum Auguſtum, & Stephanum Battoreum, inclytos Poloniæ Reges, ſecunda fama militabat: inſignemque de Moſchis, in agro Smolenſcenſi, exigua ſuorum manu, victoriam reportauerat, quam nulla vnquam ætas tacebit. Abi, & manibus defuncti, quietem apprecare.

ANDREAS SAPIEHA, CX.

PAr & idoneus, peragendis haud exigua momenti negotijs, Andreas Sapieha, Nouogrodenſis primum, deinde Polocenſis Palatinus, ob ingenij promptitudinem ac dexteritatem, à Sigiſmundo Auguſto in Senatum cooptatus. Hunc Nicolaus Radiuillus Copiarum Lithuaniæ ſummus Præfectus, principio gubernationis, in ſubſidium regiminis, bonum militiæ ſocium, victorijs clarum, ſcientia præſtantem, tribuni digni-

dignitate decorauit. A quo legatus in Liuoniam, Stephani Regis temporibus missus, viginti quatuor Moschorum millia, cum Matthia Dembinio, ad Vendam, vix quatuor millibus suorum, profligauit, duosque illorum Palatinos, cum alij duo profugissent, captos ad regem deduxit. Signa omnia militaria & tormenta bellica currusque infinitos, cum opima præda accepit. Quem priscum ad morem disciplinam castrensem seruantem, pacisque artibus optimum semper, hoc breui elogio cohonestemus.

Andreas Sapieha, Palatinus Polocensis, ob eximias ingenij, iudicij Doctrinæque dotes plurimi æstimatus, profligatis in Liuonia XXIV. Moschorum millibus, æternum, paremque virtutibus suis locum, inter Heroas promeruit: exactisque LXX. circiter ætatis suæ annis, plenus honorum, vita excessit. Anno MDCXIV.

IOANNES SAPIEHA. CXI.

Ioannes Sapieha, Andreæ Palatini Polocensis ex fratre nepos, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamq; transegit. Ætate vero maturior, bellis Liuonicis, sub Nicolao Radiuillo atque Carolo Chodkieuicio, cohortis vnius Præfectus, contra Suecos militauit. Bello deinde ciuili exstincto, quo tanquam tempestate quadam, cætera omnia concutiebantur, semper constans propugnator optimarum

rum partium fuit. Et Demetrio exule in Moscouiam à Polonis reducto, cum omnia fatali bello permiscerentur, & Demetrius à suis subditis occisus esset, Moscouiaq; fere vniuersa cum vrbe metropoli à nostris possideretur; Ioannes à commilitonibus suis Dux electus, admirabili quadam laude, equitum phalangi præfuit, vt non modo opinionem vicerit omnium, quæ de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. Multis siquidem in locis rebellantem nostris Moschum, cladibus maximis affecit, profligatoq; ad Troiczam Suiscij Tyranni exercitu, cæsis vna acie octodecim millibus, maiorum suorum claritudinem, quorum fidem in Regem nulla vis tempestatis libauit, egregiis facinoribus editis, tanto magis illustrauit, quanto plura ex hoste trophæa bello illo reportauit, in quo tot viri eximij ac Megistanes militauerant, cum tanta diuersarum rerum varietate, tantaq; mutatione fortunæ. Vbi & ille laboribus confectus, vitam expirauit, fama meliore, quam fortuna: siquidem pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæq; gloriæ, vehementius quam caute appetebat. Cui ob egregias dotes & virtutem, hoc breue Epitaphium scribamus.

Ioannem Sapieham, Præfectum Vsuiatensem, strenuæ fortitudinis virum, amantemq; militiæ, ne immortalis fieret (id enim de se promittebat, relicta à suo cognomine, bello Moschouitico, secta militari) anno ære Christianæ MDCXII. immatura mors extinxit, nec siuit patrios inuisere Lares. Tu qui legis, ne patere tanti viri Manes in hostico errare; sed si pius es, apprecare quietem in cœlesti illa atque æterna patria.

FRANCISCVS SVCVS. CXII.

REge Stephano bellum cum Moscho ad Polociam gerente, Franciscus Sucus, qui per totam fere ætatem, sub Gregorio & Ioanne Chodkieuiciis, arma insigni cum laude tractauerat, collecto in confiniis Lithuaniæ atque Russiæ Albæ, globo Cosachorum, Crasnam arcem Moschi munitissimam, vna cum castello, suda in nocte, scalis appositis cœpit. Similiter & Cossianam, plenam commeatu atque instrumentis bellicis. Magnoq; terrori deinceps hostibus erat, quod per cædes, incendia, vastationesq; pagorum, vbique violentus & maxime pugnax enituisset. Nam robusto ingentiq; corpore firmissimus, validisq; ideo & prægrandibus vtens armis, sicuti ingenio vigilanti, acutoq; maxime præstabat: ita ante alios aspera audacter aggredi, & pugnam impigre ciere erat solitus. Atque ob id lingua Roxolana Suk, hoc est densior pars arboris & ad dissecandum durior, à suis commilitonibus fuit cognominatus. Et quia id bellum, propter rei frumentariæ difficultates, & propter cœli inclementiam difficillimum fuit, ille magnam, Ioanni Famoscio Plescouiam obsidenti, in conquirendo & asportando commeatu, operam præstitit; sæpiusq; super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus, tandem ex magnis illarum Regionum frigoribus in morbum repentinum incidit, & in castris ad Plescouiam febre consumptus est. Tumulum eius hoc Epitaphio cohonestemus.

Claudit hæc tumba, viator, Franciscum Sukum, egregiæ fortitudinis virum: cuius capaci animo, nec à literis abhorrenti, vices rerum, & experientia pugnandi, multam solertiam impresserat. Qua

Qua inter militares viros clarus, & rerum, bello Moscouitico, sub Stephano Rege gestarum, fama illustris; in castris ad Plescouiam fato cedens, cum bellicis laboribus, tum ardenti gloriæ cupiditati suæ, finem imposuit, Cosachi certatim collachrymantes, Ductori suo desideratissimo, ob egregias dotes & res fortissime gestas, hunc tumulum honorarium excitarunt.

ERNESTVS VEIERVS. CXIII.

QVanquam plurimos eximios viros, lætus frugibus Borussiæ ager, & validissimo populo grauis, ad ornatum Septentrionis, produxerit; quorum progenies & cognomina, virtus & fortia facta satis nobilitarunt. Singularem attamen laudem Veierorum domus promeruit: inter hos autem, fama & dignitate, præcipuus Ernestus fuit. Qui & mores diuersorum populorum pernouit, & linguas complures peregrinando didicit, & ad bella conuersus, egregiam operam in Liuonia Regi Sigismundo Augusto præstitit; cœpitq; in quadam pugna velitari, Christophorum Ducem Megapolitanum: qui postea sex annis Rauæ in Masouia detentus fuit. Igitur negociorum vsu exercitum, Rex in Senatum adscripsit: iuuenem quamuis, sed cui aderat facundia rotunda, eruditio admirabilis, ingenium ad omnia promptum, fortuna, comitas; tum in hilari ac iuuenili animo vis matura consilij, & cætera bona, propter quæ senectutem laudamus. Quarum hercle rerum præsidio Stephano quo-

quoque sapientissimo Regi magnopere placuerat, & cum Gedanensibus bellum gerenti, ad obsidionem vrbis & arcis maritimæ, quam Pharum vocant, multum commodauit. Itemq; bello in Moschouiam translato Germanicum militem Tribuni titulo deducebat, & ad Polociæ obsidionem magno adiumento fuit; & non solum ex prima nobilitate, sed præterea virum se esse ostendit. Quem tandem fato functum Ioannes filius paternarum virtutum hæres apparatissimo funere laudauit, sepulchrumque ei, cum fratribus reliquis, pietatis ergo, maxumis cum sumptibus, ædificandum curauit; cui hoc breue Epitaphium inscribamus.

Ernestus Veierus, inter Proceres Borussiæ potentissimus, Nobilitateq; & opibus supra priuatum: Regnantibus in Polonia, Sigismundo Augusto, & Stephano Batthoreo, bellis Liuonicis, atque Moscouiticis clarus: Gedanensis quoque rebellionis tempore, fidem maiestati & patriæ, incorruptam præstiterat: semperq; inter viros literis, armisq; præcipuos habitus; quam viuus nequiit, mortuus inuenit requiem.

IOANNES VEIERVS. CXIV.

Ernesto ad superos euocato, successit Ioannes filius, qui indole & virtutibus, magnum patris genium patriæ referebat, strenuus & par negotiis, belli & pacis artes callebat: inuenireq; amicitias, & colere optimus, etiam cum diuersæ gentis aut linguæ hominibus. Sic enim natura mortalium instituta est, vt liberalibus ingeniis sit facilis conciliatio. Et vt bellica laude, inter Prussiæ incolas, nemo Veieris fuit præstantior, sic quoque & in extraneos nemo munificentior illis visus est: qui magna post prælia, saucios largitione & cura sustentabant, postremæq; in mortuos pietatis officia non modo non negligebant, sed etiam exemplo suo incitabant alios ad similem virtutem. Ac præcipue Ioannes noster, qui prius neminem vlla arte, quam humanitate & obsequio superabat, paternæq; virtutis indole, ad summos militiæ honores, vel in iuuenili ætate properabat. Fuit etenim vir liberalitatis eximiæ, per omnem ætatem, indomitiq; laboris atque animi, ad omnes fortunæ casus firmissime compositi. Qui primam expeditionem, cum Serenissimo Rege Sigismundo III. in Sueciam susceperat, strenueq; sese in bello illo pro eius maiestate gesserat, etiam cum vitæ extremo periculo, cum globo bombardæ æneæ in brachium percussus esset. Reuersus inde, postquam conualuerat, in Hungariam statim aduersus communes hostes Turcas subsidio rei Christianæ cum sua cohorte abiuerat. Tribunusq; militum factus in Moldauia atque Valachia, contra eosdem barbaros acerrime stetit, gloriæ auidus, atque omne belli decus sibi retinens. Inde reuocatus, iterum à Rege in Sueciam præmissus fuit, Stocolmiamq; Metropolim illius celerrime occupauit, rebellesq; mari & terra sæpius profligatos, ad obsequium coegit. In Moscouia quoque ad Smolenscum, rem strenue gessit, & colubrina è muro percussus, voto ad Diuam Loretanam concepto (quod & exoluit postea religiosissime) miraculose incolumis mansit. Demum contra Osmanum Sultanum cum Principe Vladislao progressus, legionem peditum Germanorum ductauit, & fortiter è vallo ad Chotimiam propugnans, complures Turcarum occidit, atque eos inter Caracas Bassam, castra nostrorum acerrime insilientem, quo tempore nusquam, sacro Missæ officio non audito ad prælium prodibat. Multisq; à Rege honoribus præditus, etiam legationem ad Regem Danorum prudentissime obiit. Et in Senatu dicenda sententia plurimum valuit: prouidebatq; semper imminentia Reipubl. pericula: securi imperij non aliud certius esse pignus dicens, quam paratum & semper in castris exercitum; & qui classi etiam impositus, Septentrionis latus tueretur. Sed nos virum de patria optime meritum scripto Epitaphio cohonestemus, licet eum satis per se, verissimæ triumphus gloriæ per posteritatis seriem inoffenso cursu euehat.

Ioannes Veiherus Palatinus Culmensis, Pucensis Sluchouiensisq; Præfectus. Flos & soboles Nobilitatis Pruthenicæ, dignaq; proles magno parente. Qui bellis Hungaricis, Suecicis, Moscouiticis, Turcicis, Moldauicis, Valachicisq; semper cum laude, Tribuni officio interfuit: Militariumque ac ciuilium artium peritus, dicenda sententia in Senatu plurimum valuit. Atque ob id, cunctis charissimus, posterisq; æternum colendus ac desiderãdus. Ex hac turba & colluuione, in aliud animorum concilium cœtumq; anno reparati sæculi MDCXXVI. profectus est. O patria, si tu modo bellatorem hunc habuisses, ille tibi ornamento & emolumento dubio procul fuisset. Sed, ô quam raræ, in mortalibus huiusmodi gemmæ! quam sæpe contemptæ, ab ingeniis, quæ ad seruitutem facta! Abi, viator, & si virtuti amicus es, dole sortem magnorum virorum.

IOANNES ZBOROVIVS. CXV.

IOannes Zborouius, primis militiæ annis, apud Moscouiticos exercitus inclaruit, cum cohortis vnius ductor, interesset illi ad Neueliam prœlio, quando Stanislaus Lesniouolscius, temporibus Sigismundi Augusti, mille quingentis militibus nostris, quadraginta Moschorum millia in acie profligauerat. Eius itaque præceptis imbutus cum à Rege Stephano, contra Gedanenses, cum aliquot cohortibus in Prussiam præmissus esset, celeritate vtendum ratus atque fortitudine, ingentes rebellium copias audacter ad Dersauiam aggressus, fœda eos strage affecit, & bellum illud totum, in paucis diebus feliciter confecit. Et hoc est quod M. Tullius inter præcipuas boni Ducis dotes, exigit fortitudinem in periculis, laborem in negocijs, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo. Quæ singula in Ioanne Zborouio obseruare licuit, cum à Gedanensibus inopinatò sane fuisset circumclusus, non ex integro duo millia armatorum habens: & nihilominus tamen ita se gessit, vt octo circiter millia ex hostibus cæsa in acie fuerint. Etenim in rebus asperis, inquit Liuius, & tenui spe, fortissima quæque consilia tutissima sunt. Quare Rex prudentissimus iterum eum bello Moscouitico, prætoriæ cohorti præfecerat: Senatuique ob egregias animi dotes ab Augusto adhuc Rege, vna cum fratribus, adscriptum, opimis possessionibus & præfecturis ornauit. Fuit etenim Ioanni dissimili morum genere, & pari prope gloria militari præconio celebratus Christophorus frater: nec non & Samuel, cæterique: Ast tamẽ Ioannes, & Christophoro & Samuele, alijsque Germanis fratribus, qui pugnacissimi Duces fuere, in omni imperij militaris munere implendo, potior existimatus est. In eo siquidem, Polonorum procerum nobilissimo, apprimè grauis & considerati Imperatoris decus enituit, quod proculdubio ad antiquæ Sarmaticæ virtutis specimen referri posse plerique existimarunt. Quandoquidem in eo multa militaris consilij vis, egregiaque constantis animi probitas, & recti honestique appetens moderatus animus conspiceretur. Quapropter virum tam magnum præterire illaudatum nefas reputans, hac breui eum epigraphe cohonestemus, quamuis veram virtutem non egere laudibus humanis sciamus, cum ipsa secum ducat suam laudem ac decus: cæterum qui nihil gerunt præclari; his opus est præconibus. Sed ad institutum nostrum.

Ioannes Zborouius, gente nobiliſſima, cognatione plurima, affinitate infinita, ingenio præſtantiſſimo, animo inuicto, opibus maximis & honore: hoc eſt, Palatinus Cracouienſis, Prætorianorumque apud Stephanum Regem Præfectus. Decus & ornamentum Sarmaticæ Nobilitatis, Ne poſt mortem, cura ſollicita, ſepeliretur ab amicis, qui in vita, nullius rei, præter virtutem appetens erat, hac humo ſuppoſita, ſua oſſa, poni curauit.

Hic vt pauciſſimis Polonorum cohortibus, validiſſimum Gedanenſium exercitum ad Derſauiam profligauit, ita per omnes circumuicinas gentes opido inclaruit, vt illo nemo bellica laude tum præſtantior exiſtimaretur.

GABRIEL HOLVBCVS. CXVI.

IS obſcuro loco, & parentibus agrarijs in Lituania natus, virtute ac calliditate ſingulari, conflata Coſachorum haud contemnenda manu,

ſub Radiuillo copiarum ſupremo generali, toto Moſchouitico bello temporibus Stephani Regis, vltrò ſine ſtipendijs militauit, fama ſola & præda ex hoſte contentus; Præſtiteratque ſæpius egregiam operam difficillimo bello illo, vbi non ſolùm cum hoſte, verum etiam cum elementis ipſis luctandum erat. Cumque ad Stariciam cum ſeptingentis ſuis progreſſus, in legionem Moſcorum inopinato incidiſſet, & locorum difficultate circumcluſus ab eis eſſet, iuſſis Coſachis ſuis ex equis deſcendere, ita fortiter pedes pugnauit, vt tria millia ex hoſtibus occideret, & ſe in libertatem cum ſuis aſſereret, arceque illa ſupra omnium opinionem, abſque vllo damno ſuorum, facilè potiretur. Sicque deinceps vigilantia ſua, fortitudine, conſilio & vi corporis, nomen optimi ducis promeruit, vt Moſcouitico bello conſentientis famæ nomine eſſet clariſſimus, & à Poetis paſſim verſibus celebraretur. Maximè verò cum Archiducis Maximiliani ad regnum Poloniæ adſpirantis, Germanorum legionem integram ducentis equitibus ſuis, ad Rabſtiniam profligaſſet: à quibus variante deinde fortuna, ad Bicinam in Sileſia, in conflictu globi ſclopeto occiſus eſt. Inferias more militari celebrauit ei extemplo Coſachorum legio: nos epitaphium adſcribamus.

Viator, Gabriel Holubcus Coſachorum Ductor longe clariſſimus parta de Moſchis ad Stariciam, de Germanis vero ad Rabſtiniam inſigni victoria; vt eſt Fortuna alternis ſuo more luſibus iocabunda, ad Bicinam demum, fortiter dimicans, in acie occubuit. Et quem ei tumulum, pro tempore lugentes Coſachi poſuere, conditus, diem reſurrectionis operire ſtatuit.

CXVII. JOANNES LOBODA.

ETsi plurimos viros, bellicis artibus insignes, Cosachi Faporosenses inter se habuerint, nullum tamen ferunt elatiorem animo fuisse Ioanne Loboda: qui statura mensuram mortalium propè excesserat: validissimique erant ei artus & proceritati non impares, trux vultus, ætas virilis, virium, animorum, militarisque & athleticæ artis ingens opinio. Itaque à Valachis subsidio contra barbaros accersitus, prosperam aduersus Scythas pugnam facit, pellitq; in deserta. Iterumque contra Turcas euocatus, libentissimè cum suis iuit, quod antea etiam Tartarorum inruptionem, nihil mutata in Polonos constantia pertulissent. Paulatim igitur rerum successu & imperandi libidine inflammatus, pulsis barbaris ipsi principatum Valachiæ inuasit. Ad quem è tota Russia, vt quis fortunæ inops, moribus turbidus, promptius ruebant: ipsique Cosachi, cum ex vsu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, & aliquando minuerentur, breuissimo spatio maximas perpetrarunt res. Et parum abfuit, quin vniuersa vno ambitu Loboda potius sit Dacia. Qui licet rei bellicæ non mediocrem vsum habebat, quia tamen ebrietati & luxuriæ maximè deditus erat, puncto temporis rursus ab omnibus excidit: circumuentusque à Valachis inopinato, diu sese fortiter defendit, neque prælium omisit, donec desertus suis caderet. Raro enim permanent vsque ad exitum successus, præsertim vbi moderatio deest. Et hoc est quod alicubi aspirantes ad regimen monet Cicero, inquiens. Imperaturus refrenet primùm libidines, spernat voluptates, animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cùm dedecori, & turpitudini parere desierit. Quod ignobili genere natis seruare perquam difficillimum. Quo magis incitandi sunt, ne non animis cadant, si non ocyus è tenebris natalium emergant. Erigant se audenter, & cogitent alienis rebus, factisue, decorari neminem, sed suis quemque moribus æstimari: animum inquam, spe pulcherrima foueant, natalium obscuritatem quandoque à Principibus, vel Rebusp. decoratam iri. Non enim facit nobilem, ait Seneca, atrium plenum fumosis imaginibus. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. Igitur licet plebei in Russia generis fuerit Loboda, magnis tamen Sarmatię nostræ bellatoribus inserendum censuimus, quia bellicis artibus clarus fuerat, imò medius fidius & pacis, nisi luxuria eas inquinasset, non contemnendus. Cui & epitaphium pro more nostro adscribamus.

Tegit hæc tumba viator Ioan. Lobodam, Cosachorum Zaporosensium ductorem: ignobilem genere, sed militiæ peritum: rudem sane bonarum artium, ast robore corporis ferocem: deditum libidini & ebrietati, bellicis attamen laboribus non insuetum, & in profligando barbaros felicem: virtutibus & vitijs obnoxium. Et qui principatu Valachiæ arrepto, facilè sibi claritudinem inter Sarmatiæ Satrapas, rebus fortissime gestis comparasset, si perinde amorem inter populares, quam metũ apud hostes quæsiuisset. Sed heu nefas; æstate eadem, Qua Daciam inuaserat, suorum proditione, tristia fata subijt.

JACOBVS STRVSSIVS. CXVIII.

MVlta claritudine generis & veteri origine conspicua Strussiorum domus, improspera semper fuit. Nullusque sanè illorum, prout & Herbutorum, aut pauci, sua morte perierunt, sed in acie quilibet, & pro

pro tuione patriæ libertatis, à barbaris interempti propemodum omnes. Quod equidem ipsum, etiam in Iacobo Pręfecto Chmielnicensi videre est: qui cum Martino Camenecio Palatino Podoliæ, & primo cum fratre eius Nicolao, Palatino Cracouiensi & exercituum generali, bellis Tartaricis, Valachicisq; exercitatus, alarum cohortes ductabat. Et tandem cum Trzebinio incursantes barbaros, Podoliæ populationibus prohibere cupiens, quum fugientes longius insequeretur, quod laboranti nemo cito opem ferre posset, à Tartaris circumuentus, obtruncatus est, dum supremos indomitæ virtutis conatus ederet. Fieri enim plerumque solet, vt mentes elatæ rebus secundis, modum seruare non possint, nec facilè aduersa casuum reputant, quibus fortuna semper arrisit. Atque hæc incunabula Iacobo, & veluti rudimenta erant maiorum rerum, cum iuuenem prima firmioris ætatis spatia ingredientem fatorum iniquitas extinxit. Cui virtutis ergò hoc breue epitaphium appendamus, quamuis sciamus eius illustrem famam, nullo æuo consenescere posse.

Iacobo Strussio, apud Nicolaum Camenecium, exercituum Polonicorum imperatorem alarum Præfecto: inter Heroes Russiæ, eiusq; ætatis belli fulgura clarissimo. Et maiorum suorum fato adsueto, fama meliore, quam fortuna.

Qui in prælio cum Tartaris ad Voronouiam, fortissimè dimicans, millenis barbarorum manibus discerptus est; Anno M. D. XX. cuius inclyta domus, quamuis infelicissimis temporibus nostris iam extincta sit, famam tamen illorum. Qui se toties pro Republica deuouerunt, seruabit æternam Historiæ genius, quam ad posteros etiam propagatam, nulla vis, nulla ætas extinguet.

JOANNES ZBARAVIUS. CXIX.

HEroibus Sarmatiæ, Ioannem quoque Zbarauium inseramus, virum integritate, industria, rectitudine consiliorum, ac plerisque alijs magni politici, ducisque laudibus, præ cæteris æqualibus suis, ornatum. Cuius maiores orti sunt in Russia familia vetere & honorata, atque ex principibus Lithuaniæ: sed quorum gloriam ille non solum æquauit, verumetiam longe superauit, rei militari totus addictus. Quum enim ab obitu Regis Sigismundi Augusti, minus intenta apud nos militia esset, ille omnium castrensium munerum numeros, & callebat inter Roxolaniæ Megistanes solus, & cum erat opus, obibat; laborisque inediæ, algoris, vigiliæ, patientia, & in excogitandis consilijs sollertia, inque exequendis celeritate, omnes sua ætate anteibat. Idem locorum opportunitates occupare, suo tempore locoque prælium facere, hostem in alieno deprehendere, aciem ex vsu disponere, & formam ex omnibus conuenientissimam illi dare, optimè norat. His itaque studijs eximius, cum non impigrè operam suam aduersus conatus hostiles impendisset, à Rege Senatui adscriptus, Braslauiensis Palatini titulum gessit: totoque Moscouitico bello, vna cum fratre Stephano, Trocensi Palatino Regi Stephano, egregiam operam præstitit. Maximè ad Toropecciam & in expugnatione Socolæ, atque depopulatione tractus Czernichouiensis: vbi suis cum cohortibus effusus per agrum, ferro ac flammis cuncta peruastauit, Mosco nullibi prodire auso. Ad quem missus à Rege Orator, vt iuramentum exigeret ab illo, fide & industria singulari, non vulgarem est famam consequutus. Quam haud leuiter adauxerat, in Tartaros excursione sæpius facta, qui ante in nostras terras excurrere solebant. Igitur

secundis eos aliquoties prælijs profligatis, multisque inde gregibus abactis & captiuis liberatis, etiam Constantinum Ostrogium, Palatinum Kiouiensem, ab eis arcte obsessum exemit, & cum præda profugientes, ad Zaslauiam profligauit: Demum gloriæ plenus ex hac vita placidè discessit, relicto magno bonis omnibus, & patriæ amantibus sui desiderio. Cui hoc breui scripto, pro meritis, parentemus.

Hospes, Ioannes Dux Zbarauius, Palatinus Braslauiensis: vir inter exactæ virtutis Imperatores potius, quam inter Senatores numerandus, si corporis, ac ingenij robur, & rerum contra Moscum, & Tartaros, strenue gestarum, cumulum spectes: hoc marmore clausus quiescit.

Hunc, Anno. Fato functum, Georgius & Christophorus, filij, æternum lacrymantes sepulchro condiderunt, & omnes, Christianis Heroibus deferri solitos honores, ei decreuerunt. Tu, manibus quietem apprecare.

IOANNES ZAMOSCIVS. CXX.

PRoximum quidem à Stephano Rege, exercituum imperatorem Ioannem Zamoscium censendum putauimus, sed interim occurrentibus alijs viris bellicosissimis, huc vsque per incuriam distulimus. Virum in quo

in quo pietas & fortitudo, lenitas & magnitudo animi, rerum gerendarum prudentia, cum agendi celeritate, ex æquo certarunt: virum belli pacisque artibus laudatissimum: dignum quem prudentissimus Rex Batthoreus in oculis ferret: dignum quem Magnus suus successor Sigismundus III. in precio haberet. Et qui in amicitijs exterorum quoque Regum, Ducum, Principum, procerorumque, non Christianorum solum, sed Machumetanorum quoque, quoad vixit, primas semper tenuit. Postremò postquam obijt, politicis, bellicæ rei studiosis, veræ & legitimæ Historiæ amantibus, donec suus literis honos stabit, vnice dilectus & probatus erit. Namque solus ferè nostra ætate, veteris militiæ Romanæ peritissimus fuit: peragratisque cultioribus Europæ populis, tempore Sigismundi Augusti, non minus honestis studijs, & eloquentia, quam militiæ gloria, inter suos Sarmatas nitescebat. Et qui erecto Zamoscij nobilissimo gymnasio, solus ferè liberales disciplinas è tenebris eruerit; quas nequaquam officere nobilitati, Polonos intenso studio edocuit. Belli verò Imperator à Stephano Rege constitutus, consilia, curasque in oppugnationem Plescouiæ in Moscouia, magno terrore vertit, gnarus vt initia sui regiminis prouenissent, famam in cetera fore. Igitur hac in dies efflorescente, facile totam Liuoniam ab hoste recepit. Et Stephano Rege ad superos translato, Archiducem Maximilianum, factiosorum molitione, ad sceptra Poloniæ adspirantem, & acie fortiter strenueque profligauit, & reparantem vires in Silesia, post aliquot secundas decertationes, ad deditionem coegit. Idem famosissimum illum Moldauiæ bellatorem, Michaelem Vainodam, acie fusum tota Valachia expulit. Kazigereumque Tauricanorum Chanum, cum tota potentia suorum, vicinorumque Tartarorum, venientem, in campis Cecoræ, repressit & pacem petere adegit. Iterumque aliquoties Russiæ oras incurrentem, secundissimis prælijs profligauit. Et Carolum Sudermaniæ Principem, Liuoniæ prouincias armis occupantem, sæpius acie fudit, & victum transmare pepulit. Multaque alia bella, contra hostes patriæ, tanta felicitate gessit, nunquam vt sub eius auspicijs anceps victoria titubarit: in obeundis verò expeditionibus, dubium cautior, an audentior fuerit: & qui maximam diligentiam in exquirendis hostis sui consilijs habuerit; nec ad militiæ decora quemquam vilem, aut fastu suo tantum tumentem admiserit, sed egregios viros tantum, eruditos, sobrios, & qui annos non plus ex fastis, quam stipendijs suis numerare poterant, sciebantque illo etiam absente, seruare ordines, obsequi ductoribus, locum

castris & pugnæ eligere, & plus reipsa præstare, quam aut discurrere, aut aliis imperare. His igitur talibus ille consilia sua communicabat, aut in partem regiminis assumebat, vt cum illo sustinerent onus belli, ne ipse solus pondere negotiorum obrueretur. Et de rebus ab eo fortiter & egregie gestis hactenus; nunc quod reliquum est, sepulchrum illius Epitaphio cohonestemus.

D. O. M.

Piisque Ioannis Zamoscij Sarij, Manibus, cuius nomen & decus ob egregia facinora, consecratum est immortalitati. Et qui Reip. Polonæ, summus Cancellarius, ac militiæ Imperator factus, vniuersos fere nostræ tempestatis Duces, magnitudine animi, bellica virtute, totiusq; ciuilis Humanitatis atque Prudentiæ præconio, sine controuersia superauit. Quiq; omnium consensu, & à generis splendore, & ab instructu disciplinarum, & à rebus gestis, & ab ingenij monumentis, vir & Philosophus nobilissimus, & vt ita dicam, Sarmaticus Epaminundas fuit. Hic igitur tantus, & ad immortalitatem natus, expletis sexaginta tribus ætatis suæ annis, in alteram vitam, multo meliorem

rem abijt; anno reparatæ salutis MDCV. & viuet ad omnem posteritatem. Abi viator, & dic magni Herois Manibus, pia verba.

IOANNES POTOCIUS. CXXI.

ZAmoscium copiarum Ducem, Ioannes Potocius, eius in Valachia Legatus, quo nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, iure merito sequitur. Qui regnante adhuc Sigismundo Augusto, cohortis hastatorum Præfectus, interfuit prælio cum Moschis ad Neuelam; tum & alio cum Tartaris, signa Ducis Constantini Ostrogij Palatini Kiouiensis secutus. Deinde Stephano Batthoreo sceptris regni potito, omnibus Moschouiticis bellis cum Ioanne Zamoscio legionis tribunus durauit. Succedenteq; Stephano Regi, Serenissimo Sigismundo tertio, & contra Maximilianum Archiducem, & contra Michaelem Moldauiæ principem, & contra Naleuaykum Cosachorum Ductorem rebellionem molientem, prosperus vbique adfuit, & Rozuanum illum quinque millibus Transyluanici equitatus potentem, aliquot cohortibus suorum fudit, & captum anno 1608. palo infixit. Relictusq; à Ioanne Zamoscio Legatus in Valachia, non tantum barbaros prouincia illa expulit. Verumetiam pulso Michaelis exercitu, Simeonem Ieremiæ Valachiæ Satrapæ, vterinum fratrem, Moldauico principatui præposuit. Postq; obitum Zamoscij orto bello ciuili, semper constans propugnator optimarum partium fuit: Missusq; in Valachiam, eiectum à Turcis Ieremiam, suo principatui restituit. Et Regi in Moscouiam cum exercitu proficiscenti, Smolenscum primum expugnandum esse suasit; non ignarus instandum famæ, ac prout prima cessissent, fore vniuersa. Vbi etiam ipse cum suis cohortibus sine Reipub. stipendiis adfuit, & in oppugnando operam egregiam præstitit. Cæterum ante expugnationem, fato concessit, vir omni sæculorum memoria dignissimus. Et qui Christianæ pietatis memor, in egenos & mystas sacrorum liberalissimus fuit:

diuq; ante obitum ſarcophagum ſibi conſtrui iuſſit, cum funebri ſuppellectile, vt perpetua mortis cogitatio eximeret à corde, vanum huius mundi faſtum, ſanctas autem actiones agendas, dum viueret, admoneret. Vbi nos quoque ad valuas fani Epitaphium appendamus.

Ioannes Potocius Palatinus Braslauienſis hîc quieſcit. Vir pacis & belli artibus, ſplendidæq; inprimis dignitatis, in caſtris adminiſtratione, clariſſimus: cui & forma corporis, dignitati congruens: & oris decus, & morum elegantia, adfuere. Præterea, laboris, inediæ, algoris, vigiliæ, patientia ſumma: Item iuſtitia, pietas, modeſtia, liberalitas; cæteræq; Heroici animi dotes: Quarum ille ope, Familiam veterem & illuſtrem, intantum claritudinis euexit, vt nemo maiorum ſit cum eo comparandus.

ROMANVS ROZINIVS. CXXII.

SEquitur ex eadem Podoliæ plaga, inſignis ille militiæ Dux, Ioannes Rozinius, bellis Tartaricis, apud Ioannem Zbarauium, Conſtanti-

numq;

numque Oſtrogium Palatinum Kiouienſem, cohortes ductando exercitus, magni & acerrimi vir ingenij, pulcher aſpectu, decoraque facie. Is quamuis litterarum imperitus eſſet, naturali attamen ſolertia præditus, momento temporis diuerſos commutati animi habitus, quum vſus poſceret, geſtu, voce, oculis ementiri, alieni porrò animi latebras ſagaciſſimè perſcrutari, incredibilique ſimulationis artificio, vel peritiſſimos aſtutorum hominum ſenſus explorare ſciebat. Proinde quum à Demetrio Moſcouiticum imperium armis repetente, legionibus Polonicis Præfectus eſſet, aſtutiſſimos hoſtium conatus probè eludere ſolebat. Et dum ille à ſubditis tempore nuptiarum per tumultum occiſus eſſet, Romanus vt Imperium ad Polonos aliquo modò peruenire poſſet: profligatis centum & amplius vno prælio Suiſcij ſectatorum millibus & caſtris eorum potius rediuiuum Demetrium, cum alijs ſimulauit, proque eo toties cum Moſchis feliciſſimè decertauit, vt media ferè iam Moſcouia fictitius Demetrius potiretur: apud quem Dux Romanus, totius Scenæ magiſter, & copiarum ſummus Præfectus erat. Cæterum quia in fatis non erat, impoſtorem diu regnare populis illis, Romanum ex aſſiduis curis, leuiter quidem febricitantem mors inopinato ad Serpuchouiam abripuit, bellicique laboris & vitæ immaturum finem attulit. Dimetriuſque ille ſimulatus, Romano amiſſo breui & ipſe à Tartaris, quibus maximè fidebat, in venatione occiſus eſt. Sed nos Romano, Pauolociam ad pænates in vrna aſportato, licet Græuanicæ religionis fuerit, iuſtum debitumque epitaphium appendamus.

Clauſus hoc ſaxo quieſcit, Romanus Dux Rocinius, Magnificis animi Generoſi virtutibus Inſignis, cunctiſque perfecti Imperatoris artibus inſtructiſſimus.

Qui bellis Tartaricis in Podolia exercitus, in Moſchouiaque à Demetrio Principe, omnibus copijs Præfectus, magnam apud omnes famam magnis

gnis

gnis aliquoties prælijs victor, promeruit: euasurus honore auctior & maior, nisi immitia fata eius paratis honoribus propere nimium inuidissent.

Qui parta, anno M. DC. VIII. ad Belchouiam, insigni de Suiscio Moscouiæ Tyranno victoria, sequenti æstate apud Serpuchouiam febri extinctus est.

ALEXANDER LISSOVIVS. CXXIII.

QVod publico bono fiat, & ad sæculi decus pertineat, Alexandrum Lissouium, nobili in Lithuania genere ortum, antiquis & modernis bellatoribus, militari gloria parem, in hunc Martium campum producamus. Qui bellis Moldauicis sub Michaele illo clarissimo, subque Ioanne deinde Potocio exercitus, in Moscouiam deinde ad oppugnationem Smolensci gregarius miles abijt, tot annis Ioannis Bobouij Chiliarchæ commilitium secutus. Et tunc quasi sui consilij vtilitatem promouente fortuna, bellum ad Moschouitas, expugnato Smolensco, vlterius exarsit, Carolusque Chodscieuicius prudens rerum virorumque æstimator, hostes incautos & segnes, vel sola celeritate opprimere cupiens, cum ipse Varsouia, in castra & Moscouiã abitum pararet, iussit vt Lissouius mille equites vltro in bellum ire volentes, sine stipendijs, & vel sola præda ex hoste contentos, in commilitium secum adduceret: vtque omnes illi leuiter essent armati, & nullos secũ currus aut calones traherent; vel si absque ijs commode bellare non potuissent, adultos benè & impigros lixas seligerent, quibus cum permixti, diu noctuque vagarentur: & palantes agros vastarent, villas expugnarent, pecoris & mancipiorum prædas certantes agerent. Igitur Lissouius licentia eam in rem ab Rege impetrata, duo millia, & amplius in Moscouiam secum duxit, & rebus prosperè gestis, sectam militarem Cosachorum Lissouianorũ, quę etiamnum durat, & omnibus ferè Europęis innotuit, post se reliquit: qui fortiter & magnifice nuper in acie pro Ferdinãdo II. proq; patria nostra steterunt, hostes oppugnando, fugiendo, delendo. Et Lissouius ipse, frequentibus prælijs sæpissimè victor, vniuersam propemodum Moscouiã excursionibus continuis fatigauit: consilia, locos, prompta, occulta nouerat, actusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Et si sors iniquior victoriæ aliquando successum eriperet, nunquam tamen victus videri potuit: mature siquidem prouidendo, & grauiter enitendo, Moschorũ consilia præuertere, & quæ iam apud eos parata essent, atque instructa præoccupare, eorum ducum immodicos conatus, admirandis dolis eludere, & quum res posceret vehementi atque expedita manu infringere atque retundere dedicerat. Cumque iam patriæ operam egregiam præstitisset, & milites suos, artes belli optime edocuisset, inopinata morte præreptus, ante ordines suorum equitando, subitò ex equo decidit, & apoplexia extinctus est Anno 1614. Illi successit in regimine communi omnium assensu electus.

VALENTINVS ROGAVIVS ductus & ipse gloriæ desiderio, qui ad finem vsque belli Moscouitici durauit, multaque præclara facinora gessit, edoctus ab Alexandro Lissouio, instructa acie, pedem sensim, quasi metus causa referre, aut conuersis ordinibus fugæ speciem recedendo exhibere: & mox quasi reparata fronte, insistentibus hostibus obsistere Scythico more. Quare & in Valachia deinceps, cum Stanislao Zolkieuio cõtra Turcas atque Tartaros ad Cicoram strenue atq; amanter se gessit pro patria cum suis, licet innumerabili barbarorum multitudine circumseptus esset, & super virtutem hostium, locorum quoq; difficultates eluctaretur. Inde in Hungariam abijt, à Georgio Humanai accersitus, quum Gabriel Bethlemius Transyluaniæ Princeps, cum alijs hæreticis ad Viennã castrametaretur. Igitur ad Humennam duobus millibus Cosachorum suorum, validissimum Hungarorum exercitum profligauit, & occisis ex eis septẽ millibus & quadringentis, ad Michaloucciã exercitum citis itineribus promouit, vbi nobilitas ferè tota Transyluanica cum septingentis equitibus sese incluserat. His igitur per deditionẽ acceptis Cassouiam vsque ferro & igni, cuncta peruastans processit: atque inde præda onustus in Poloniam per montes Carpatos redijt. Cui statim sublectus à commilitonibus fuit egregius ille,

HIERONYMVS KLECZKOVIVS consimili prorsus ingenio & consilio, quamuis ætate iunior, qui anno 1620. subsidio Imperatori Ferdinando II. Serenifs. à Rege missus, celerrime in Austriã transgressus est, ac in plurimis Silesiæ Morauiæq; ciuitatibus ante conspectus fuit, quam quo tenderet, auditum esset: ita, vt priusquam quid contra ipsum moliri potuisset, longè discesserat; ostendens in rebus humanis celeritate sæpius multa digna ac egregia perfici posse, quã vi & impressione. Hic igitur præter alias velitationes cũ rebellibus Hæreticis apud Cremsam prospere gestas, mille pedites Friderici Palatini haud procul Horna ad internecionem deleuit. atque demum ipse ad Hornam in insidias tractus, globo sclopeti transfixus occubuit. In locum autem occisi à commilitonibus suffectus

STANISLAVS RVSINOVIVS. qui in omnibus negotijs & bellis illis Bohemiticis, temporibus dextrè & sapienter vtebatur, vt nullã virtutem illius magis, quam celeritatẽ laudauerim. Sanè quod Tampierus ille Comes aut Bocquoius Cæsaris Ferdinandi II. clarissimi Duces, tot tantaq́ue bella cũ incredibili felicitate administrarint, cęteris vniuersæ Europę Ducibus rei bellicæ gloria præstiterint, hostes quãuis potentissimos profligarint, celeribus Lissouianorũ, atq; improuisis excursionibus maxima ex parte, rerum gnari & prudentes adscribunt. Et nominatim ad Hornã, vbi octo rebelliũ millia cæsa fuerunt: itemq́ue in expugnatione Prohaciciæ, vbi præter vrbicam plebem, quinque peditum millia occisa sunt. Ad Labam quoque Rusinouius, mille quingentos ex hostibus nocte concubia deleuit, ita vt ne nuncius quidem cladis superesset. Qui & in illo Pragensi prœlio laudem haud postremam promeruit, cum solus penè cũ suis Cosachis hastatas Hungarorum legiones in fugam vertisset: & duo supra quinquaginta hostilia signa, ipsamq; Friderici aquilã Cæsareo Generali atque Duci Bauariæ obtulisset. Pauloq; post cæsis ad Strazniciam Hungaris viginti octo eorum signa, Imperatori Viennam misit. Idem in Poloniam ad bellum Turcicum reuersus, rem strenuè cum suis ad Chotimiam gessit, probauitq́ue operam suam patriæ & ducibus belli. Pace verò cum Turcis conclusa, iterum ad Imperatorem tota Lissouianorum legio in Germaniam abijt, quibus iam

STANISLAVS STROINOVIVS Tribuni titulo præfuit, qui primum excubiarum semper curam gesserat; edideratq; non postremũ fortitudinis suæ specimen ad Slauinam, sub regimine tum Rusinouij existẽs, à quo cum trecentis Cosachis missus, sexcentos Bohemorum equites nactus ad internecionem ferè deleuerat. Iam vero integræ legioni præpositus, ad

tus, ad

tus, ad Glacium primò Comitis Turnij audacius palantes cohortes, maximis cladibus affecit: deinde ad Habelsuerdam nouem rusticorum millia fœdissima strage deleuit: tum ad strinam quoque secundo prœlio hereticos deuicit: & Rhenum transgressus Serenissimo Archiduci Leopoldo, vsque adeo in profligandis rebellibus diligentem & strenuam operã nauauit, vt inter strenuos milites & consilio perspicax, & manu egregie fortis haberetur. Illi successerat demum

EGIDIVS CALINOVIVS & impiger miles & acer præfectus qui itidem improuisis & fortibus consilijs, celeritateq́ue imprimis Dux felix euaserat; contraq́ue Mansfeldianos in Silesia rem strenuè gessit. Quem secutus deinde Nicolaus Moczarscius, præcipuus scientia rei militaris, qui in hodiernum etiam sectam illam florentem rebus fortiter in Prussia gestis fouet, Lissouijq́ue decus retinet, pluribus in locis Suecorum legionibus deletis: sed de illo alias, nunc Lissouium ipsum, tam optime de Sarmatia nostra meritum iusto epitaphio cohonestemus.

Viator, si scire cupis, cuiusnam hic Tumulus sit, subsiste parumper, & quod scriptum est perlege.

Alexander Lissouius, præcipuus scientia rei militaris, postquã vniuersam fere Moscouiam assiduis populationib. peruastasset, & à suo cognomine sectã militarẽ, Lissouianorum Cosachorum comparasset, maxime ardẽtis & imperterriti bellatoris laudem est consecutus: siquidem illo nemo vnquam callidius insidias tetẽdisse, nemo peritius instruxisse aciem: nemo arma promptius, atq; Ferocius expedisse traditur. Aderat illi & facundia,

 mulcen-

mulcendique vulgum artes & auctoritas. Sed eum, proh dolor! nobis inuitis, fati violenta series, in medio rerum cursu eripuit, Anno Christi MDCXIV. ingentemq; dolorem attulit commilitonibus orbatis repente Ductore tam fœlici ac strenuo. Cui virtutis & amoris causa, diuturniorem hanc in terris memoriam, lugentes posuere.

PETRUS SAHAIDACZNY. CXXIV.

PEtrus Konaseuicius Cosachorum Zaporosensium Ductor, cognomen militare à pharetra Ductum habebat, & vulgo Sahaidacny vocabatur, quasi pharetra vtentem, & velut sagittam in ea, expeditum dicere velis. Is quanquam origine non satis nobilis esset, quia persæpe tamen ex humili loco viri prodeunt laudatissimi, propterea eius virtuti is honos habitus est à supremis Copiarum Ducibus, vt consiliorum omnium in bellis particeps esset. Quandoquidem prudentia non vulgari præditus erat, & animo præterea ingens, periculorumq; appetens, & vitæ contemptor: in conflictu primus, in receptu vltimus, manu promptus, corpore agilis, vigilans in castris, & somno parum indulgens, sobrius adhæc ac in colloquiis parcus & cirumspectus; vnde quoque & in castris Cosachorum, silentium summe obseruabat, & vt ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumq; Ducis fierent, magnopere prouidebat. Turbari etenim per noctem longe maius negotium est, quam interdiu, & emendatione difficilis: cuius

cuius rei gratia, tum taciturnitas exercenda est, tum ordo custodiendus. His itaque virtutibus Sahaidaczny præditus, terra mariq; constantissima fortunæ beneficia agnoscebat. Electusq; in Ducem à suis commilitonibus, in Perecopensibus campis, Tartaris aliquoties fussis, Tauricam Chersonesum perterruit, & armenta abegit. Atque breui post victricia signa, per amplissimas Moschi ditiones circumtulit, cum ad Vladislai Principis castra, ad metropolim Mosquam posita, cum suis legionibus tenderet. Piraticam in Euxino exercens multa Europæ & Asiæ præstantissima emporia diruit, vicinasq; Constantinopolis ditiones igni & ferro depopulatus est. Et in Chotimensi expeditione demum, non vulgaris præstita dexteritas, augebat eius crescentem indies apud Turcam gloriam. Quo bello finito, ille quoque ex assiduis laboribus morbo afflictus, breui post viuendi finem fecit, Anno 1621. Cui nos etiam pro meritis & virtute, hoc breue Epitaphium subscribamus.

Petrus Sahaidaczny, Zaporosensium Cosachorum Ductor, rerum terra mariq; gestarum continuata gloria celeberrimus, hac humo quiescit. Vir, rara ingenij sagacitate, iudicijq; nobili maturitate, & in dictis, factisq; singulari industria: quibus sane dotibus, adeo vitam plebeiam excesserat, vt inter clarissimos hac ætate in Polonia viros, æquissimo iure posteritati innotescere possit. Tu qui virtutem amas, Manibus viri militaris, bona precare.

CXXV. SAMVEL CORECIVS.

ETsi nostra potissimum ætas deserta, & laude orbata censeatur, nonnullos attamen viros illustres, antiquis etiam comparandos protulit, quos inter etiam Dux Samuel Corecius numerari potest. Qui bellicis artibus à natura deditus, facile castrensem disciplinam sub Stanislao Zolkieuio hausit, & in Regia cum laude versatus magnis sese viris, quibuscum amicitiam coluit, fortibus ac præclare gestis adæquare studuit. Cumq; duxisset in vxorem Ieremiæ Moldauici Principis filiam, qui tres quoque alias clarissimis in Polonia viris, elocauerat filias, Duci videlicet Michaëli Visniouecio, Stephano Potocio & Ioanni Przerembio, firmiorum in Russia districtuum rectoribus; ob eamq; rem à Turcis Valachia eiectus esset. Idcirco collecto illi haud contemnendo exercitu, expulsis subito barbaris, restituerunt Ieremiam principatui suo: qui paucos deinde post menses, fato concessit non plane senex, filio vnico nomine Petro relicto; cui in Polonia quoque, fortunæ inconstantiam animo agitans, haud contemnendas possessiones viuens adhuc pater compararat. Nec eum fefellit opinio: & barbari solita fraude, tributo ingenti à pupillo accepto, opido eum, cum matre, tota Valachia eiecerunt. Igitur generum affinem, iterum nostri reducere conantur, Coreciumq; vehementis spiritus virum, vti iuniorem, copiis præficiunt: ipsi aliis curis bello faciendo dediti. Et is insigni victoria de Tomssa, nouo Valachiæ Principe parta, cum paucos intra dies, Dux Visniouecius, vita functus esset, solus totius belli molem sustinere adactus est. Cumq; aduersus barbaros audacius, quam consultius pugnaret, post aliquot secunda prælio, tandem à Scender & Imbraim Bassis profligatus, rerum per aliquot menses præclare gestarum gloria, & apud hostes clarissimus, in Turcarum venit potestatem. Reseruatusq; in funestam insolentis triumphi pompam, miserabili quodam fato Constantinopoli in ergastulo delituit. Vnde mirabili calliditate cuiusdam Græci hominis liberatus, in Italiam nauigauit profugus, & à Summo Pontifice Paulo V. paterne receptus, in patriam minitabundus rediit. Et vt erat præalto vir ingenio, & incredibili constantia; ad nullas aduersæ infestæq; fortunæ contumelias, infracti animi vigorem vnquam dimisit, quum inimicorum atque hostium insolentiam longa patientia superaret: Cæte-

Cæterum iterato infortunio miserabilis, dum vlcisci cupit, cum Stanislao Zollcienio, in funesta pugna illa ad Cecoram captus, & in carcere diu habitus est, cumque indomiti animi magnitudine spes suas, vel maximè prostratas erigeret, post summas demum ærumnas, Tyranni iussu Constantinopoli strangulatus Anno 1622. perijt qui nusquã votis nostris mori debebat, & cui ad posterorum memoriam, hoc breue virtutis ergo epitaphium subscribamus.

Subsiste parumper viator & quis hoc tegatur tumulo, lege. Hoc is cuius causa scriptum est, fieri rogat. Samuel Dux à Korecz. Bellica laude, virtuteque animi Roxolanorum nostra ætate Clarissimus, profligatis in Valachia tredecies barbaris, eiectoque principatu Tomssa incubatore cum & impiger miles, & acer Præfectus, ab hostibus etiam ipsis censeretur, omniumque in se oculos conuerteret, insolescentis fortunæ, ludibrio, in ipso laudum suarum progressu, maxima clade affectus in Turcarum manus deuenit & carceris ærumnas diu Constantinopoli perpessus est: eximiæ probitatis Heros: itemque staturæ proceræ: ingenij amœni, nec à literis abhorrentis, summæque audaciæ & roboris.

Hic-

Hic igitur ſummo aſtu, ex Ergaſtulo profugiens, dum vlciſci parat, & milite conſcripto ad Cecoram in Valachia, Staniſlao Zolkieuio exercituum Poloniæ generali iunctus, per octo continuos dies fortiſſime dimicat, atrocitate fatorum, iterato a barbaris capitur, & in triumphum Conſtantinopolim ductus, ad extremum iuſſu Tyranni enecatur, cuius tamen virtus, vigebit in animis, memoriaque multorum. Tu quoque viator, ſi pius es, æternam quietem apprecare, immature ſublato.

STANISLAVS ZOLKIEVIVS. CXXVI.

DE Staniſlai Zollcieuij laudibus ſi dicere aggrediar, ſoli facem allucere videbor. Saties eum conſentiens fama demonſtrat, & rerum geſtarum gloria, nunquam nomen hominis obliuione deleri patietur, quamdiu magnis viris, ac virtutibus honos exſtabit. Is cohortis vnius primo ductor: deinde alæ Præfectus: poſtea legionis tribunus: ac tandem Polonæ militiæ Dux campeſtris, omnibus prælijs, cum Ioanne Zamoſcio, in Moſcouia, Liuonia, Podolia, Sileſia & Valachia interfuit. Vir antiqui moris, vigens ætate, ſtrenuus manu, ſermone grauis, clarus natalibus & fortibus factis. Quique per omnes militiæ gradus, priſco more

more procedens, ad ſummum vſque militię apicem deuenit, & à Sereniſſ. Sigiſmundo III. Rege Poloniæ moderno, ſub decliuum ætatis, Summus exercituum Dux, & Regni Cancellarius declaratus fuit, quū Arctoo vertici ſubiecta Moſcorum regna, & Romanis olim legionibus intacta vel vno prælio in campis cluſinenſibus ita debellaſſet, vt cæſis in acie multis millibus Rhuthenorum, captiſque Germanorum, Gallorum, Anglorum, Scotorum, aliarumque è tranſmarinis partibus conductarum gentium, integris cum duce ſuo Comite è pontibus Sueco, legionibus, facilè poſtea & ipſum magnum Moſcouiæ Principem in triumphum, Sigiſmundo Regi, Varſouiam, cum fratribus, & Senatu ſuo fermè toto, atque Patriarcha, deduceret. Moſcouiamque vniuerſam Vladiſlao Principi Regis filio obedientiam & ſubiectionem promittere adigeret, accepta in poteſtatem vrbe ipſa metropoli Moſcouia. Qui deinde ſua cunctatione in expeditione contra Tartaros, imbellis quidem ab imperitis & temerarijs habebâtur, vt qui ignauia aut ſocordia prælium detrectare videretur. Sed interiectis temporibus, etiam poſt obitum, coegit omnes fateri, neminem potuiſſe, vel conſtantiorem vel ſapientiorem rebus gerendis Imperatorem præfici. Etenim concordiam ille diſſidentium in caſtris Dynaſtarum ſemper attendebat, & pro Spartanorum inſtituto, non quot eſſent, ſed vbi hoſtes eſſent conſiderabat: quinimò flocci de ſe ſiniſtros rumores pendebat: gnarus, ſemper glorioſum quod tutiſſimum, vt inquit Velleius. Et ſic non pauidus ille, aut proditor, ſed cautus belli aleam ſubterfugiebat, quam alias ſubire nuſquam erat cunctator. Et vltimum operum ſuorum edere cupiens, per octo ferè dies atque noctes continuè Tartarorum, Turcarumque vim in Valachia ad Cecoram, cum paucis cohortibus ſuſtinuit, cum Gaſparum Gratianum, Regi Poloniæ cum tota prouincia ſe ſubijcientem contra eorum potentiam defenderet. Ibi poſtquam à barbaris maximam accepiſſet cladem, ſuique milites perterriti eſſent, in mouendis caſtris maximopere curauit, vt exiſtimationem ſeruarent, & vt militare inſtitutum non negligerent. Cumque ſic per octo dies inſtructis ordinibus verſus Poloniam procederet, & iam Neſtro flumini vicinus eſſet, corrupta iurgijs aut rixis diſciplina, quod reliquū ſupererat à cladibus, omnes ſecunda vigilia magno cū ſtrepitu ac tumultu caſtris egreſſi, nullo certo deinde, neq; imperio, cum ſibi quiſque primū itineris locum peteret, & ad Neſtrum peruenire properaret, fecerunt vt barbari re per ſpeculatores cognita maxima cum celeritate ſuperuenirent, & aut occiderent noſtros aut caperent reſiſtentes. Qui autem acriter cum generali ipſo re-

ſtiterunt, omnes propemodum exitu cruento in acie cum illo cecide-
runt. Cuius caput hoſtis ad ludibrium pilo affixum, quanto probro no-
ſtro totis caſtris geſtauerit, & Conſtantinopolim cum triumpho rediēs,
per plateas circumtulerit; quis eſt qui non videat? & clades ipſa ignomi-
nioſior ne an funeſtior fuerit; haud ſatis explicem: diſcordia certè no-
ſtra victor hoſtis. Truncus occiſi domum relatum, amici & affines cum
vxore ſepelierunt, cui deinceps & caput auro redemptum addiderunt.
Nos epitaphium, viro de patria reque tota Chriſtiana optime merito,
ſarcophago breuiter inſcribamus.

Viator, ſi patriam amas, dole magni
viri caſum & occaſum. Staniſlaus Zolki-
euius, regni Poloniæ ſupremus Cancella-
rius, exercituumq́ præfectus: omni ex-
perimento virtutis notabilis Senator, ſed
præcipuè arte bellica, & euentu conſilio-
rum, heic ſitus eſt.

Qui ſub Nicolao Melecio, & Ioanne
Zamoſcio clariſſimis illis militiæ magi-
ſtris, & vt ita dicam, pullis ipſius Martis,
varijs bellis exercitus, præter alia egregiæ
fortitudinis ſuæ facinora, tot ſæculis po-
tentem illam Moſchorum Monarchiam
paucos intra menſes, vniuerſam fermè
euertit: Principemq́ue ipſum, Ioannem
Suiſcium, cum Demetrio & Baſilio fra-
tribus, totoq́ue eius Senatu & Patriarcha
Sigiſ-

Sigiſmundo Regi, in triumphum duxit.
Demum ipſe paucos poſt annos, vertente
ſe fortuna, etſi poſt obitum quidem Con-
ſtantinopoli triumphatus, nō mediocre
tamen exemplum, rerum humanarum
incōſtantis mutabilitatis, poſteris dedit.
Quum enim ob cunctationem in bellis
Tartaricis inuidia exagitatus eſſet, paucis
cum cohortibus in Valachiam, Gaſparo
Gratiano ſubſidio profectus, ab infinita
barbarorū multitudine circumſeptus eſt.
Vbi eum non inultum Turcicus gladius,
poſt octiduum tandem prœlium, vt deſi-
derabiliorem nobis, ſic & fœliciorem
ſibi abſtulit. Finem quoque tantorum la-
borum, & volenti, & plurimum exo-
ptanti præſtitit. Anno reparatæ ſalutis.
M.DC.XX.

BARTHOLOMÆVS NOVO-duorſcius. CXXVII.

SCimus equidem vitio malignitatis humanæ, vetera ſemper in laude,
prēſentia in faſtidio eſſe, & conſimiliter, priſcos tantum bellatores
 in ad-

in admiratione & veneratione existere, modernos vero licet omni virtutum genere præditos, in contemptu nihilominus manere, qui alias omnis immortalitatis præconio sunt dignissimi. Quandoquidem manifeste videamus, non esse adeo virtutum sterile sæculum nostrum, vt non & bona exempla prodiderit: omniumq; ætatum historiæ, & humanarum rerum quotidiani euentus docent, æque bona, quam & mala accidere: egregiosq; viros pariter, sicut & ignauos, omni ætate nasci. Quod ipsum in Sarmatia quoque nostra videre licet: quæ omni fere tempore viros eruditione, prudentia, pietate, belliq; ac pacis artibus inlustres complures habuit. Hacq; nostra tempestate inter alios virtute eximios, Bartholomæum Nouoduorscium vidit, virum candidi pectoris, priscæq; seueritatis. Qui iuuenis admodum in Podolia, & Transyluania exercitatus, Stephano Rege in Moscouia bellum gerente militaria tyrocinia deposuit. Ad exteras nationes deinde profectus, Gallicis & Sabaudicis bellis cum laude & honore interfuit. Namque in oppugnatione Pontesini, ipso Rege Henrico III. inspectante, globo sclopetario percussus fuit, qui tum inter prætorianos stipendia merebat, & paulo deinde cohortes Catholicorum, contra hæreticos ductabat. Cum quibus sub Henrico etiam IV. ad Ambianum egregie pugnauit, opimaq; spolia ex hoste retulit: inq; eo studio continuos septemdecim annos in Francia consumpsit. Inde Melitam profectus, & Eques S. Ioannis Baptistæ de more factus, octo annos ex integro, in illis difficillimis tum bellis moratus, Mediterranei, Ionij & Ægei maris insulas vidit. Lustrauit & Africam, ad Lepantum cum certa suorum manu missus, vbi porta arcis effracta, egregium fortitudinis suæ specimen edidit: & ad Machometam arcem lethaliter vulneratus, cum re bene gesta ad suos reuertisset, magno exinde in precio, apud Magnum Ordinis sui Magistrum fuit. Redux demum in patriam, ad Smolensci obsidionem, Regiæ stipatorum turmæ præfectus in Moscouiam subito iuit, & pulueri tormentario succendendo (quo Smolenscum post longam obsidionem expugnatum est) primus ante omnes manus admouit, tropheaq; ex hoste obtinuit. Idem cum Principe Vladislao ad Molaiscum, & ipsam vrbem Moscouiam profectus, ingentia virtutis suæ senex documenta dedit, & exemplo cæteris præluxit, bis sclopeto percussus, pedem ab oppugnatione, quamuis lethaliter saucius, minime referens. Et quamuis literarum ipse fuerit minime gnarus, in Academia nihilominus Cracouiensi, bonarum artium collegium excitauit, sumptu quem sanguine comparauerat. Quo facto, non multo post obiit

obiit, Anno 1625. conditusq; est Varsouiæ in Basilica S. Ioannis Baptistæ; cuius sarcophago hoc breue Epitaphium inscribamus: quamuis sciamus veram virtutem, non egere laudibus humanis, cum ipsa secum ducat suam laudem ac decus; Cæterum ad posterorum exemplum & æmulationem, ornemus his præconiis egregij viri Manes.

Bartholomæus Nouoduorscius, Eques Ordinis S. Ioannis Baptistæ, Melitensis; Commendator Posnaniensis, & cohortis stipatorum Regiorum, Præfectus: viris magnis, & qui melioribus annis nati erant, ob priscam virtutem chariss. rebusq; terra & mari: domi, & extra patriam, egregie fortiterq; gestis, longe clarissimus, & in litteras litteratosq; liberaliss. Qui vixit bene, mortuus beate heic suos cineres, Anno à Deo homine MDCXXV. deponi curauit.

Viator, si auitam pietatem colis, quæso, ne inquietes, antiqui moris viri, Manes, nullius enim secum cineres misceri passurus est, qui solus condi voluit.

NICOLAVS ZIENOVICIVS. CXXVIII.

ADiiciamus clarissimorum bellatorum numero, Nicolaum Zienouicium quoque, qui ex multo vsu militiæ, opinione virtutis eo prouectus erat, vt se dignum militiæ honorem, quo virtus enitescere posset, mature consecuturum speraret. Quandoquidem multos per annos, castrensi disciplinæ, sub optimo bellorum Duce, Carolo Chodkieuicio, assuetus, & Liuonicis & Moscouiticis bellis cohortium primo Ductor, deinde legionis Tribunus, cum laude semper interfuit. Senatorio deinde ordini adscriptus cum eodem Chodkieuicio in Valachiam ad bellum Turcicum iuit, acerrimus patriæ libertatis assertor, Christianæq; religionis, pro qua & vitam in acie posuit, Anno à Christo incarnato 1621. in Vigilia Natiuitatis Beatissimæ Virginis, in confertissimos hostium cuneos illatus, Chodkieuicium ipsum à barbaris circumseptum eliberaturus. Vbi dum ex equo interempto decidisset, & momento eodem deiecta casside (quæ hasta vnius Turcæ in concursu detrusa erat) caput denudasset, à barbaris vndique cinctus, & inter illorum equos, huc & illuc volutatus, iteratis confodebatur ictibus. Tandem Turcis in fugam coniectis, cum plusquam viginti vulneribus saucius esset, & semiuiuus, in plaustro quodam in castra esset aductus, magna nominis sui gloria relicta, tertio demum die spiritum, vnde acceperat, reddidit. Cui ob virtutem & merita in Rempubl. singularia, Cenotaphium more nostro erigamus, cum hac inscriptione.

Nicolaus Zienouicius, Castellanus Polocensis, Legionis vnius præfectus. Vir & natalium splendore, & singularibus in Rempubl. meritis, & pacis, belliq; artibus inter viros nobiles, & quales paucos inuenias clarissimus. Bellis Moschouiticis, Liuonicisque Carolū Chodkieuicium secutus cū laude & fama prospera peractis, tandem ad Chotimiā bello Turcico, vitam in acie posuit, & quid? nisi religioni donauit. Corpus, ne in mortuum etiam vis fati sæuiret, relatum à cōmilitonibus ad penates, hoc marmore superstites, pietatis ergo, concluserunt.

CAROLVS CHODKIEVICIVS. CXXIX.

SArmatiæ illustrium bellatorum, quos magna vi, & Martia virtute, potentissimi terrarum orbis regnatores, per tot ætates debellare nō valuerunt, agmen Carolus Chodkieuicius claudat. Cui ad assequendam immortalem gloriam cuncta necessaria indulserat benignior fortuna, genus paternum maternumque clarissimum, connubia illustria opes supra priuatum & corporis constitutionem optimam, omniaque generosissimi imperatoris signa habentem, putri vultum maiestatis plenum, nasum aquilinum, & frontem exporrectam, alti animi ipsiusque Martis indicem. Prætérea linguarum exoticarum scientiarumque quas humaniores vocamus peritiam, sed maximè tractandorum armorum assiduum studium; cui à teneris annis deditus, omnes Europæ cultiores prouincias peragrauerat, intereratque bellis Belgicis, Hungaricis, & Valachicis sub inclyto illo Duce Ioanne Zamoscio, contra Michaelem Moldauiæ Principem iam tum alæ vnius præfectus. Vbi non contemnendis fortitudinis suæ exemplis editis, Pocillatoris Magni Ducatus Lithuaniæ titulum à Rege accepit: & breui post, bello Liuonico, sub Duce Nicolao Radiuillo, rem-

rem ſtrenuè gerens, præter ætatem, Polemarchi honorem promeruit: atque deinceps ſummus copiarum Magiſter factus, Samogitiæ primò Toparcham geſſit, dein Palatini Vilnenſis, & totius Liuoniæ Gubernatoris officium accepit. Quod imprimis caſta mentis pietate firmum reddebat, exornabatque ſincero numinis diuini cultu, preces ante prælium ſupplices, poſt victorias vero gratiarum actiones humiles fundendo, & quolibet Sabbatho per ſacroſanctam ſinaxim delicta expiando: Tum extruendo ſumptuoſiſſimo opere, religioſis viris templa atque Monaſteria: Cretingæ Patribus S. Franciſci de Obſeruantia: Bychouiæ, Canonicis S. Auguſtini, Regularibus. & Croſſis in Samogitia Patribus Societatis IESV. Vt hic omittam, alias magnificentiæ eius ſtructuras, puta vallum & propugnacula Bychouienſia, ex militari arte exquiſitiſſime facta, arcem Lachouicianam, ſplendidiſſimis ædificijs, & ingenioſa munitione exornatam: armamentariaque verè regia, machinis bellicis, ſingulari induſtria confectis, repleta. Quid de liberalitate dicam? quam ille magna ſua laude exercuit, & egenos homines, vulneratosque aut egregio aliquo facinore inſignes milites, modo pecunia, modo veſto aut commeatu iuuabat, & hunc equis, illum armis, omnes autem hoſpitalitate deuinciebat. Imò mediusfidius & in captiuos, eadem beneficentia propenſus erat, maximumque ſibi apud exteras, remotiſſimasque gentes nomen, ſingulari clementia comparauerat; & qui à natura ad iracundiam promptior fuerat, nuſquam tamen in eos deſæuijt, ſed honore & muneribus ornatos dimittebat, æmulatus hac in parte Romanorum Imperatorum gloriam. Hinc & in cadauera occiſorum hoſtium ſemper humaniſſimum ſe præſtitit: poſtque ſubſequutam illam Kircholmenſem victoriam (vbi tribus millibus ſuorum, quatuordecim millia Sudermani Principis bellicoſiſſimorum hominum è Belgio, Scotia, Anglia Germania atque Gallia collectorum in vna ferè hora, ad internetionem propemodum deleuerat) cæſorum ducum funus, præſentia ſua, ſplendido apparatu, & magna pompa exornaſſe illum vidit Rigenſium ciuium turba, audierunt externæ gentes, mirati ſunt hoſtes. Quocirca illius fortitudinem, dexteritatem atque prudentiam militarem, maximè bella Liuonica poſteris illuſtrabunt; vbi loca limoſa, paludibuſque fluuijs, lacubus, & ſyluarum ſaltibus inuia, incredibili celeritate, victricibus ſignis peragrabat, & ad multa caſtella vt primum veniſſet, vidit ſtatim & vicit. Volmariam ſine ſuorum iactura, aperto inſultu cœpit: recuperauit Parnauiam, porta Stratagemate effracta: Rigam, Derpatum, Dinamundum, Bialocamenum, paruis viribus, magna virtute, & inſigni artis militaris peritia ſæpius

tutabatur. Nec terra ſolum hoſtibus, ſed mari etiam, ingenti ſuo ſpiritu, terrorem incuſſit, cum naues Suecorum expugnaſſet & incendiſſet: ipſe contra nullo prælio, & nec vna velitatione à Suecis, toto bello Liuonico attritus. Qua felicitate quoque in Moſcouiam etiam progreſſus, cum parua ſuorum manu, auſus eſt cum ingentibus Moſcorum viribus decertare: & decertando ſæpius alacriter, ſartam tectamq; Reipub. gloriam, ac militantis nobilitatis ſalutem conſeruauit. Alteraq; expeditione cum Vladislao Principe profectus, magnam partem Ducatus Seuerienſis recuperauit, & in patriam triumphabundus rediit. Ad extremum poſt tot res feliciter geſtas, ita benigna ſors extremum vitæ eius curſum diſpoſuit, vt vna cum bello omnium quę ante confecerat celeberrimo, nominiſq; immortalis gloria, caduca ſua terminatur vita. Contra Oſmanum enim Turcarum Imperatorem, Podoliam numeroſiſſimo cũ exercitu inuadentem, à toto regno Poloniæ, exercituum Dux declaratus, profligatis aliquoties inſigni victoria barbaris, cum egregiam Regi, Reiq; pub. operam nauaſſet, in ipſo laudum ſuarum progreſſu eſt omnium noſtrum expectationi ereptus, vir omni ſæculorum memoria digniſſimus. Viguit in eo laboris, æſtus, frigoris, inediæq; tolerantia, inq; diſponendis excubiis vigilantia, in mittendis exploratoribus ſumptuoſa ſolertia, in acie autem inſtruenda ea promptitudo atque dexteritas, quæ cum ſummis, veteris & recentioris æui Imperatoribus æquari poterat. In tanta autem felicitate naturæ, eminebat eruditionis amœnitas, omniumq; Muſarum conſortium: ſed inprimis architecturæ militaris, Hiſtoriarumq; erat peritus, & dimenſionũ geometricarum. Generoſiſſimorum equorum, exquiſitiſſimorum armorum ſtudioſiſſimus: & facie, geſtu, greſſu, voce, veſtitu, ad Martem à natura compoſitus: inq; dicenda ſententia in Senatu, & militaribus orationibus ſuccinctus & neruoſus: comis præterea affabilis, acceſſuq; facilis, & in familiari conſuetudine ſuauiſſimus. Niſi melancholicus præualuiſſet humor, partim à variis morborum affectionibus, partim à continuis bellorum curis accerſitus. Cui coniunx mœſtiſſima, Regali prope ſumptu, inferias Oſtrogij dedit: nos tumulum ſcribendo breuiter Epitaphio cohoneſtemus: quod etiam alias edita funebri laudatione fecimus.

Io. Carolus Chodkieuicius, Hercules, Lituanicus, Poloniciq; exercitus in Turcas Ductor, militia & victoriis clariſſ. heic

ſitus eſt. Quem, fidiſſima totius vitæ eius comes Fortuna, variis olim iuuenem, bellorum caſibus, in Hungaria, Belgio, & Valachia, exercitum, ſummum in patria militię Magiſtrum fecerat: iteratisq; toties in Liuonia triumphis, atque continuatis in Moſchouia trophæis inluſtrem, vt ætate, ita iudicio maturũ, feroci illi ac indomito, Oſmano, Turcarũ tyrãno, oppoſuerat: Sed qui, heu nefas, in ipſo laudum ſuarum progreſſu, occulto quodã Fatorũ conſilio, poſt tot morborũ moleſtias, epilepſia enecatus, 8. Kal. Octob. an. 1621. Chotimiæ interijt: qui ex publicis, priuatiſq; votis, omnino immortalis eſſe debebat. Bene vale quiſquis es, vbi oſſibus magni Herois, quietem precatus fueris.

STEPHANVS CHMIELECIVS. CXXX.

FInIuerant in Chodkieuicio, ſed menſibus aliquot poſt ſcriptionem meam, elapſis triſtis è Podolia nuncius inopinato aduolauit, totamque regiam rumore ſimul ac mœrore compleuit, Stephanum Chmielecium, virum militari auſu & celeritate incomparabilem, aſſiduiſque con-

contra Tartaros bellis glorioſum, ſquinancia extinctum ferens. Hunc iuuenem Moſcouitica primum exercuere arma, Simoni Copitinio ſtrenuiſſimo ductori adhærentem: illuſtriorem reddidere Valachicæ expeditiones. Et quidem primò, apud Samuelem Corecium, primos ordines ductantem: deinde apud Staniſlaum Zolkieuium Chiliarchæ honorem habentem, tempore quo in Dacia cum barbaris bellum gerens, ad Ceceram vſque parum fauſto pede noſtri proceſſerant. Ibi ille poſt primum conflictum, nocte illum ex trepidatione caſtrorum cum ala integra ſeſe proripiens, per medios hoſtium cuneos, in iuſſu ducum perrupit, & proditis quodammodo ſuis in Poloniam diſceſſit. Sed quem propemodum næuum, egregijs poſtea fortibuſque factis, contra rebelles Coſachos Zaporoſenſes editis, apud Staniſlaum Coniecpolſcium, Ducem copiarum Regni, facilè eluit, turmarum ab eo præfectus creatus, primus ante ſuos in medio ardore pugnæ volitans. Ex quo cum ſtatim magnus Reipub. Senator, Thomas Zamoſcius, ſuis cohortibus præpoſuit. Koniecpolſciuſque ipſe, poſt aliquot cum Tartaris prælia (in quibus ille ſtrenuè ſeſe geſſerat, ad Satanouiam præſertim ac Tarnopolim, & magnam de ſe inter viros militares opinionem excitarat) toti eum Podolico exercitui, ipſe contra Sudermanum in Pruſſiam cum copijs reliquis abiens, Legati titulo præfecerat: quo oram illam à barbaris pacatam, tantiſper tueretur, donec ille bellum Pruſſicum finiret. Quod præſertim barbaris ipſis nomen eius, & ingens animus haud ignotus eſſet, vtpote qui annis ſuperioribus, non mediocria illorum agmina ceciderat. Et anno verbi Incarnati, ſexto atque vigeſimo ſupra milleſimũ & ſexcenteſimum, collectis promptiſſimè copijs, ingentem illorum numerum apud Bialocerquam adortus, licet imparem tantæ multitudini ſe animaduerteret, tanta nihilominus eos clade affecit, quanta vix à multis annis in Polonia viſa aut audita fuerit. Ferunt quadraginta circiter cæſorum millia fuiſſe, exque ſedecim phalangibus vix dimidiam partem, idque ſauciatorum vtplurimum in Tauricam remeaſſe. Qui cum anno proximè ſuperiori milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, acceptam cladem magnis viribus vltum veniſſent, iterum ab Illuſtriſſimo Heroe, Staniſlao Lubomierſcio, Ruſſiæ terrarum Palatino, ſtragem fœdiſſimam reportarunt. Cui & Chmielecius cũ ſuis turmis iunctus, integras eorundẽ alas, quæ per agros populabundæ vagabãtur, internecione deleuit: pauciq; manus illius euaſere, niſi qui pernicitate ſolicita ſibi cõſuluere. Quocirca virum de patria tã egregiè meritum Rex Sereniſſimus honorum titulis explendũ ſuſceperat: ac primum Braslauienſis Palatina-

tus Ve-

tus Vexilliferum fecerat, Præfectumque Taborensem: deinde Kiouiensi Palatinatu collato, Senatoria cum dignitate augendum instituerat. Quũ interim sæuientibus in genus humanum Parcis, vix cognito collati sibi honoris titulo, cum luctu totius Podoliæ, certe cum damno maximo Reipub. sub finem mensis Februarij anni præsentis 1630. diem extremũ clausit; vir sæculorum memoria dignissimus, & qui Leonidæ illius exemplo, numero virtutem opponere, paucitati artem adiungere didicerat, cũ in partibus illis Podoliæ, assiduis barbarorum excursionibus subiectis, vnus quasi pro omnibus excubaret. Quem more nostro, ad memoriam posteritatis, hoc breui epitaphio condecoremus.

Iacet hic militarium laborum exemplar, omnisque discriminis contemptor, Stephanus Chmielecius de armis Buncza. Qui cæsis Præcopensium Scytharum tot Chiliadibus, tam celeritatis armorum, quam cunctationis contra Tartaros, prout res vsusque poscebat, laudem cumulatissimam est adeptus. Obtentaque paucis millibus suorum, de ingenti Barbarorum multitudine, insigni illa apud Bialocerquam victoria: virtutis administratione, & nominis sui fama, Regnũ vniuersum compleuit. Sed eum, heu! inconstans & ludibunda fortuna, in ipso laudum suarũ & honoris primordio, nimis præpropere extinxit. inq; Augustissimum Sarmatici Imperij

Imperij Senatum, titulo Palatini Kiouiẽsis adscitum, si quenquam alium, maiore cum damno Reipublicæ, hac tempestate, vix decem lustra præteruectum extinxit. Anno M. DC. XXX. Viator, si patriam & virtutem amas, quæso ne inuideas: neue turbes strenui bellatoris quietem.

Et hæc sunt, quæ, cum Deo bono, de illustribus Sarmatiæ nostræ bellatoribus, posteris relinquenda putauimus: quorum etsi vita fuerit breuis, cursus attamen gloriæ sempiternus erit, virtusque ac nomina tamdiu viuent, quamdiu orbis hic stabit.

DEO TRINO ET VNI, GLORIA
ET GRATIA.

Hist. Polon

6 spu